Folio
QK98
.J31
1809

FRAGMENTA BOTANICA,

FIGURIS COLORATIS ILLUSTRATA,

AB ANNO 1800 AD ANNUM 1809

PER SEX FASCICULOS EDITA.

OPERA ET SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN.

B. 225,00

VIENNAE AUSTRIAE
TYPIS MATHIAE ANDREAE SCHMIDT,
TYPOGR. UNIVERSIT.
1809.

7-2-38
MISSOURI BOTANICAL
RECEIVED
JUL 2 1938
GARDEN LIBRARY.

VIRO ILLUSTRISSIMO

JOSEPHO BANKS,

REGI A CONSILIIS INTIMIS,

BARONETO, BALNEI EQUITI,

REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS PRAESIDI,

PEREGRINATORI CELEBERRIMO,

HISTORIAE NATURALIS CULTORI CULTORUMQUE FAUTORI

MUNIFICENTISSIMO,

AMICO VENERANDO,

HAEC FRAGMENTA SUA BOTANICA

DICAT AUTOR.

PRAEFATIO.

Obſervationes botanicas non paucas in adverſaria conjeceram, quas majorem partem ſuo tempore inſerere Catalogo Horti Schönbrunnenſis edendo fuerat animus. At vero cum illarum plurimæ apte intelligi ſine additis figuris haud potuiſſent, atque hæ tam numero quam amplitudine, tum etiam ipſarum obſervationum extenſio, moli & formæ, quas excedere catalogus non debet, minime conveniſſent; propterea ſententiam mutavi, & catalogum emittam omni ſive figura ſive deſcriptione deſtitutam, has in ſingulari hoc opere Botanicis propoſiturus ſub titulo Fragmentorum, quoniam fragmenta vera ſunt, absque ullo ordine per faſciculos oblata, & mera Obſervationum Figurarumque farrago botanica. Accedit, quod in his non minus de aliis agere ſtirpibus potero, ad hortum Schönbrunnenſem omnino non ſpectantibus; plantarum quoque jam a me deſcriptarum neglectas, vel ex defectu tunc omiſſas, nunc notas partes in complementum earundem hic explanare, dein vegetabilia, ſi quæ in hortis noſtratibus occurrant nova, figuris illuſtrare, etiamſi flores non produxerint; abſoluto Horti Schönbrunnenſis tertio & ultimo volumine, ſuperſtites non minus ibidem ſtirpes adumbrare, ſive quod tunc primum floreant, ſive quod novæ hoſpites ſerius advenerint; & tandem in anteriores proprias hallucinationes animadvertere, niſi ab aliis jam animadverſum ſit. Unum in hoc opere facere auſus ſum, quod a pluribus forte non

laudabitur. Scilicet plures jam per annos aliquot in horto Schönbrunnensi coluntur frutices, qui vegetant quidem, sed ita ut ne florem producturi esse videantur. Horum possideo specimina sicca florentia silvestria optima, quae delineanda curavi cum colore & habitu ramulorum foliorumque desumptis ex stirpe viva; florum colore ab autoptis indicato. Feci autem illud rarissime, & solum ubi flores majores & facillime erant extricandi. Exemplum primus hic fasciculus offert in Mimosa fastuosa. Fasciculi sese mutuo, tabularum numeris textuque non interruptis, sequentur, donec simul volumen constituerint aptum; quorum ultimo tunc titulus adjungetur. Dabam Viennae Austriae Calendis Martiis MDCCC.

1. POTHOS CRASSINERVIA. *Jacq. coll. vol.* 4. *pag.* 122. *Jacq. icon. vol.* 3. *tab.* 609. Tab. 1. Fig. 1.

Ab illo tempore, quo deſcriptionem figuramque hujus plantæ edidi, quam maxime illa increvit, ut folia nunc habeat, quæ quatuor cum dimidio pedes longitudine ſesquipedemque fere latitudine æquent; ſic aucta etiam in ſpadice ſcapoque, tamen ſemper acaulis. Primum ſic fructum dedit maturum anno 1795 menſe Aprili, alia planta menſe Julio, & plures ſubſequis annis diverſo æſtatis tempore. Spadix lente in fructum abit, maturum poſt quinque vel ſex menſes, tandem octo uncias longum & inferne ſescuncialis diametri, ſane ſpecioſum. Denſiſſime tunc obſidetur baccis, corolla multo longioribus, a vicinis prementibus ſucceſſive extra ambitum protruſis, quæ tunc pendent a filis tribus quatuorve, quæ principio craſſiora, a pondere baccarum elongantur, & capillaria evadunt. Et hæ quidem baccæ ſunt fecundæ, ſemina duo includentes, quorum unum plerumque abortat. Reliquæ, ſaltem apud nos, ſemine deſtituuntur, nec extra ordinem exprimuntur, etiam duplo minores, & minus vel vix ſucculentæ. Omnes ſimiliter nitidæ ſunt, oblongæ, obtuſæ, ſaturate rubræ, & biloculares. Pulpa eſt ſubdulcis, fatua, & ſubflaveſcens. Semina ſolitaria, obtuſe ovata, glabra & cinerea. Terræ mandata germinant poſt duas tresve hebdomadas. Folia primorum menſium ſunt omnia cordata, ut aliam futuram plantam indicare videantur; dein lanceolata ſequuntur ſolita. Siſtuntur in tabula totus fructus, bacca a filis ſuis pendula ſolitaria, ſemen, & plantula trimeſtris.

2. ROYENA HIRSUTA. *Linn.* Tab. 1. Fig. 2.

Ipſam ſtirpem florentem deſcripſi in Collectaneorum volumine 5. pag. 110. tab. 13. fig. 1. Subſequis annis fructus aliquot tulit maturos cum ſeminibus fecundis, quos hic propono. Perianthium perſiſtit cum foliolis quinque reflexis & virentibus. Pericarpium ſubrotundum, fere uncialis diametri, ad tactum holoſericeum, coriaceo-carnoſum, flaveſcens, uniloculare, quinquevalve; valvulis lanceolatis, acutis, patentiſſimis. Semina oblonga, ſubteretia, exiguo mucrone terminata, nitida, caſtanei coloris cum macula nigra ſuperne, numero quidem naturali decem, ſed plerumque pauciora, dum quædam abortant; incluſa & involuta ſingula proprio glutini dulci fatuo & odoris ſubnauſeoſi, quod forti demum frictione inter digitos abſcedit. Iſtiusmodi lobi glutinoſi ſunt decem, contigui, ſed ſejuncti, ut facile ab invicem ſeparentur, haud aliter atque arilli in malvis. Hi, qui ſemine carent, ſuperne & inferne corpuſculum caſtaneum incluſum habent, rudimentum opinor ſeminis. Medio in fructu ex receptaculo communi columna attollitur quinqueſulcata, pallide flava, apice quinquedentato & patulo, cui lobi glutinoſi adhæſere. In tabula exhibui fructum integrum pendulum cum calyce; eundem cum valvulis ſuis expanſis cum tota loborum glutinoſorum compage; ſemen; lobum ſterilem, & columnam connectentem ac ſuſtinentem lobos.

3. SENECIO TELEPHIFOLIUS. *Jacq.* Tab. 1. Fig. 3.

Radix ramoſa, annua. Caulis teres, nitidus, purpureus, totus ramoſus & folioſus, erectus, bipedalis, vix calamum craſſus. Folia alterna, ex baſi cuneiformi obverſe ovata, obtuſa,

ſerrata, glabra, craſſula, ab una ad duas uncias longa, infima veluti in petiolum angustata, ſumma ſeſſilia vel ſemiamplexicaulia. Pedunculi terminales, ramoſi, multiflori, bracteolis muniti, erecti. Calycis oblongi & glabri ſquamæ interiores unius ordinis plures, acutæ, apice ſphacelatæ, erectæ; exteriores pauciſſimæ & breves. Corollæ flavæ radius primo patentiſſimus, dein totus revolutus. Ex Promontorio bonæ Spei. Sub dio floret Junio & Julio. Tabula ſiſtit caulem plantæ junioris, florere incipientis.

4. SENECIO LONGIFOLIUS. *Linn.*

Caulis fruticoſus, teres, calamum craſſus, tripedalis, ramoſus, inferne glaber, cæterum aſper & viridis. Folia ſunt ſparſa, lineari-lanceolata, acuta, dentata, aſpera, rigidula, hirtula, ſeſſilia, unam alteramve unciam longa, ut inter congeneres nomen triviale longifolium minime mereatur, ſumma ſæpius integerrima. Pedunculi terminales, ramoſi, laxi, ſubcorymboſi, graciles, ſcabri, longi, ad diviſiones bracteolis linearibus ſuffulti. Calycis glabri ſquamæ interiores apice fusco ſphacelati, exteriores breves cum apice albo. Radius flavus, patentiſſimus, cum disco concolore. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret Junio & Julio.

5. SENECIO HALIMIFOLIUS. *Linn.*

Totus odore terebinthinaceo præditus. Caules ex eadem radice plures, ſeptempedales, digitum vel pollicem craſſi, fruticoſi, teretes, ſtriati, ex fusco cinerei, erecti. Rami numeroſi, juniores virides. Hi, uti & folia utrinque, imprimis dorſo, obducuntur tomento arachnoideo, preſſe adhærente, & tritu abſcedente. Folia ſparſa, ſerrata, acuta, coriacea, ipſa baſi breviter appendiculata & breviſſime ſubdecurrentia; in ramis inferioribus obverſe ovata, ſæpe tres uncias longa cum latitudine ſescunciali; in ramis ſuperioribus ſublanceolata multoque minora. Flores lutei, breviter pedicellati in pedunculis communibus ramoſis, faſtigiatis, terminalibus, modo brevibus & paucifloris, modo longioribus & paniculam amplam formantibus. Crescit in Oriente. Floret Julio & Auguſto.

6. GORTERIA SQUARROSA. *Linn.*

Caulis fruticoſus, teres, glaber, fuscus, a foliis delapſis leviter tuberculatus, baſi calamum vel digitum craſſus, a quatuor ad octo pedes altus, ramoſiſſimus, debiliſſimus, fractus tritusque haud grate odoratus. Rami virgati, longiſſimi, toti folioſi, glabri, ſæpe erecti, juniores virides. Folia conferta, lineari-lanceolata, mucronata, rigidula, ciliata pilis albis & præterea cartilagineo-ſpinuloſa, utrinque glabra, patentiſſima vel tota imbricatim reflexa, parumper adnata & decurrentia atque hic villoſula, dimidiam vel integram unciam longa. Flores terminales, ſolitarii, ſeſſiles, in ſummis foliis magis approximatis, odorati. Calycis communis polyphylli ſquamæ omnes foliis ſimillimæ ſunt. Corolla flava. Ex Promontorio bonæ Spei. Floret Junio.

7. MYRICA QUERCIFOLIA. *Linn.* Tab. 1. Fig. 4.

Frutex totus glaber, ramoſus, erectus, tripedalis; trunco digitum craſſo ramisque teretibus, fuscis & a foliis dilapſis tuberculatis. Folia ſparſa, oblonga, in petiolum brevem anguſtata, acutula, ſinuato-pinnatifida, rigidula, ad lentem ſubtus punctata, patula, numeroſa, ſescuncialia. In mare amenta ſunt axillaria, ſolitaria, teretia, obtuſa, breviter petiolata, erecta, vix ſemunciam longa. Squamæ denſæ, ſubrotundæ, acutæ, concavæ, patentiſſimæ, unifloræ, virides cum ſuffuſo hic illic rubore. Calyx alius nullus. Corolla nulla. Filamentum unicum, ſubulatum, ſemibifidum, ſquama brevius; in cujus quolibet apice anthera ſtat erecta, quadriloba, obtuſa, ſuperne purpurea & ex albo muricata, cum polline omnium minutiſſimo. In fœmina amenta ſunt axillaria, ſolitaria, ſeſſilia, minuta, oblonga, compoſita ex ſquamis pluribus, imbricatis, ſubrotundis, concavis, virentibus, omnibus ſterilibus excepta terminali ſumma, in

qua abſconditur germen ſubrotundum, deſinens in duos ſtylos divaricatos longos rubros punctisque ſcabros. Bacca unilocularis, globoſa, granis albis cereis obducta; magnitudine ſeminis coriandri. Ex Promontorio bonæ Spei. Floret Aprili. Tabula ſiſtit ramulum florenten masculum, amentum integrum auctum; auctumque florem unicum; ex fæmina partem ramuli unifolii florentis; partem ramuli fructescentis; dein aucta amentum baccam & ſemen.

8. EUCLEA RACEMOSA. *Binn.* Tab. 1. Fig. 5.

Frutex totus glaber. Rami fusci, teretes, a foliis dilapſis tuberculati. Folia lanceolata, obtuſa, integerrima, ſubtus venoſa, firma, vere buxea, uncialia, alterna, petiolis brevibus craſſis purpureisque innixa. Racemi axillares, multiflori, nutantes, punctis ſcabriusculi, bracteolis ad pedicellos muniti, foliis breviores. Flores parvi, odore caryophylli aromatici præditi, calyce viridi quadripartito petalisque quatuor albis, rariſſime apud nos illo quinquepartito & his quinis. Solam poſſidemus fæminam, quæ floret Octobri & Novembri. In tabula conſpicitur ramulus florens, & auctus flos, utrinque conſpectus.

9. ROYENA LUCIDA. *Linn.* Tab. 1. Fig. 6.

Hæc arbuscula in hortis botanicis paſſim colitur, ſic nota, ut ſuperſedere deſcriptioni poſſim. Fructum vero quum raro ferre ſoleat, ſæpe apud nos Auguſto maturescentem, hunc deſcribam. Calyx in fructu maturo eſt ſubrotundus, ſexſulcatus, ſex apicibus acutis & bifidis connivens, hinc totus clauſus niſi quando ab aucto pericarpio nonnunquam rumpitur, ſordide virens cum baſi rubente. Pericarpium ſubrotundum, calyci incluſum, cujus fere magnitudine, minutiſſime ad lentem tomentoſulum, ſtyli parte perſiſtente mucronatum, ſanguineum, nec ſulcatum, nec dehiscens, conſtans ex pellicula tenui & pulpa dulci, firmiter adhærente. Semina plerumque quatuor, ſingula proprio arillo incluſa, glabra, fuscescentia, hinc angulata, inde convexa & ſulculo inſcripta.

10. AMARYLLIS LONGIFOLIA. *Linn.* Tab. 2. Fig. 1.

Deſcriptioni hujus plantæ in Collectaneorum vol. 4. pag. 205. datæ addo ſequentia. In caldario folia etiam tripedalia evadunt, lata tum inferne duas cum dimidia uncias. Variat floribus totis ſaturate purpureis, & etiam Auguſto vel Septembri floret. Folia trans lucem numeroſis lineolis transverſis & minutiſſime punctata conſpiciuntur, ad oras albociliatula. Junio fructum maturum tulit, quem tabula ſiſtit una cum ſcapi parte. Eſt capſula ſubrotunda, trilocularis, coriacea, non diſſiliens, ſed marcescens. Semina maxima, fere ſemper ſolitaria, imo in tota capſula ſæpe dumtanat unicum, obliteratis tunc diſſepimentis.

11. DRIMIA ELATA. *Jacq.* Tab. 2. Fig. 2.

Tandem hæc planta fructum tulit menſe Decembri. Pedunculi tunc omnes eriguntur. Eſt capſula obverſe ovata, triquetra, membranacea, cinerea, glabra, trilocularis, trivalvis. Semina in quolibet loculamento duo vel tria, oblonga, obtuſa, compreſſa, nitida, atra. In tabula depingitur pars racemi fructescentis cum ſemine.

12. GLADIOLUS BREVIFOLIUS. *Jacq.* Tab. 2. Fig. 3.

Plurimæ individuæ plantæ hujus Gladioli ab illo tempore, quo illam in Collectaneorum volumine quarto deſcripſi, quotannis floruerunt, nec ulla alia habuit folia, quam brevia ſpathæformia illa, de quibus dixi. Tandem novam ſobolem crearunt, & hujus bulbus ſemper produxit folium unicum, enſiformi-lineare, acutum, glabrum, ſtriatum, bis terve obliquum, erectum, firmum, integerrimum, ſemipedale aut altius, ad medium fere usque vaginis foliorum aliorum ſpathæformium, qualia in ſcapo florente eſſe ſolent, incluſum. Bulbus autem adultus

nunquam tale folium emisit. Variat etiam florum magnitudine & colore. Duas istiusmodi varietates tabula exhibet, quarum altera sobolem ad latus habet foliosam.

13. DRACAENA DRACO. *Linn.* Tab. 2. Fig. 4.

Arbor draconis quædam Viennæ in horto suburbano Haruckeriano anno 1756 floruit, quo ego tempore in America peregrinabar; atque hæc illa est, quæ ab hortulanis Arbor draconis angustifolia vocatur. Alia, quæ apud eosdem latifolia audit ob folia duplo latiora, floruit in horto Cæsareo Schönbrunnensi anno 1768, quando Schemnizii in Hungaria degebam; ut itaque illarum neutram videre florentem mihi contigerit. Utriusque arboris histora consali potest in Dissertatione de duabus draconis arboribus, quam celeberrimus Crantzius edidit, angustifoliæ flores describens ex solis hortulani Haruckeriani figuris, latifoliæ autem Schönbrunnensis ex autopsia. Non solum has specie, sed vel ipso esse distinctas genere, Crantzius contendit; cui contradixerunt Murray, Berens, aliique, ne specie quidem diversas, sed omnino eandem utramque esse, asserentes. His ego, qui neutrius flores videram, autoribus occupatus, eorumque effatis fisus, obiter duntaxat examinavi postea fructificationem Dracænæ illius latifoliæ, quam serius bis iterum florere in horto Schönbrunnensi conspexi, nec quidquam super hac scripto notavi; quam incuriam meam ad primam oblatam novam occasionem corrigam. Anno 1789 dono illustrissimæ viduæ Principis Caroli a Lichtenstein, quæ jam a pluribus annis hortum Haruckerianum possidet, plures stirpes exoticæ ad delectum meum in hortum botanicum transmigrarunt. Non ultra in isto horto visebatur Arbor draconis angustifolia illa, quæ ibidem anno 1756 floruerat; nam Crantzius ex fide hortulani narrat, illam post peractam fructificationem in ramos extendi cœpisse, nec hortulano contradicit, quando ipse eandem duodenis annis serius examinavit: quare periisse, credibile est. Alia autem unica aderat Arbor draconis angustifolia, absque ullo ramo simplicissima, cujus truncus præter frondem octodecim altitudine pedes æquabat; quam cum non capiebat caldarium horti botanici, fossæ ad quinque pedes excavatæ lateribusque coctis vestitæ imposita juxta caldarii funestras fuit. Hic anno 1795 spadicem paniculatum amplissimum, oblique erectum, floribus fructibusque maturis deinde onustum, protulit; cujus ramulum florentem, ad vivum expressum, supra dicta tabula sistit, erectum quidem, qualis in spadice erigebatur. Pedicelli uniflori & aggregati unico geniculo instruebantur, in quo sponte solvebatur pars pedicelli superior una cum floribus numerosis illis, qui in fructum non abibant; parte inferiore in spadice persistente. Baccæ omnes aurantiæ & uniloculares unicum semen globosum fovebant; dum reliqua duo loculamenta cum seminibus suis evanuerant. In tabula exhibentur aucta stamen cum parte petali antice visum, idem cum petali lacinia integra conspectum a latere, tandem pistillum. Post fructificationem peractam basis spadicis & ipsa trunci contiguus apex cariem traxerunt, qua etiam plura folia amisit; sed vulnere sponte sanato novum ex apicis latere ramum produxit. Anno autem proximo mense Octobri, quando caldarii tectum ruinam minitabatur, tolli illam oportuit, & ob defectum alius caldarii altioris in hortum Schönbrunnensem vecta fuit; sed ab aëris inclementia & ab ipsa vectione multum passa, post paucos ibidem menses lenta consumptione interiit. Sunt in caldariis nostratibus plura utriusque speciei individua.

14. SEPTAS CAPENSIS. *Linn.* Tab. 2. Fig. 5.

Tota glabra est. Radix est tuber informe, nigricans, perenne. Caulis annuus, simplex, teres, purpurascens, erectus, pennam columbinam crassus, unam alteramve unciam altus. Folia opposita, duo paria, petiolata, ex basi cuneiformi subrotunda, crenulata, crassula. Pedunculus terminalis, erectus. Flores umbellati, pedicellati, pauci. Involucrum minutissimum. Perianthium heptaphyllum; foliolis lanceolatis, acutis, concavis, patentibus, persistentibus. Petala septem, oblonga, acuta, æqualia, patentia, alba, calyce duplo longiora. Filamenta septem, subulata, erecta, petalis breviora. Antheræ subovatæ, erectæ, flavæ. Germina septem, oblonga, gibbose conniventia in globum, desinentia in totidem stylos filiformes erectos & calyce breviores. Stigmata obtusa. Capsulæ septem, polyspermæ. In nostris individuis hic partium numerus constans est. Ex Promontorio bonæ Spei. Sistitur tota planta.

15. SANSEVIERIA FRAGRANS. *Jacq.* Tab. 2. Fig. 6.

Eſt hæc planta Aletris fragrans Linnæi, in hortis botanicis paſſim obvia, florum odore gratiſſima; ſed cujus fructus erat hucusque, opinor, ignotus. Hunc tandem unicum in horto noſtro botanico anno 1792. largita eſt; baccam ſcilicet ſubrotundam, glabram, magnitudine piſi, ſordide flaveſcentem, mollem, unico ſemine ſubrotundo gravidam; quam fuiſſe in origine conjicio trilocularem. Patet ſic ex tota fructificatione, eſſe ad Sanſevierias amandandam.

16. SIDA GIGANTEA. *Jacq.* Tab. 2. Fig. 7.

Icon hujus arboris, quam in Horti Schönbrunnenſis volumine altero exhibui, jam ante plusculos annos impreſſa colorataque fuerat, quando primum fructum dabat; unde deſcriptus quidem, ſed non depictus fuit. Addo igitur hic ejusdem figuram cum ſemine.

17. ADENANTHERA PAVONINA. *Linn.* Tab. 2. Fig. 8.

Figuram hujus arbusculæ in tabula 23. voluminis quarti Collectaneorum edidi; hic ſiſto figuram leguminis dehiscentis ex arbore ſilveſtri, quum apud nos flores omnes decidere ſoleant.

18. OEDERA ALIENA. *Linn.* Tab. 2. Fig. 9.

Hanc in altero volumine Horti Schönbrunnenſis deſcripſi & delineavi. Haud inutile erit, hic addere fructus receptaculum, poſt dilapſa ſemina flores ſteriles centrales adinſtar fasciculi firmiter retinens, tum etiam receptaculi partem auctam.

19. SELAGO SPURIA. *Linn.* Tab. 3. Fig. 1.

Caulis ſuffruticoſus, ramoſus, teres, erectus. Folia conferta, ſeſſilia, linearia, denticulata, glabra, acuta, uncialia, patentiſſima. Pedunculi folioloſi, corymboſi, apice ſpicam gerentes oblongam, obtuſam, denſe imbricatam, ſucceſſive in ſummitate florentes, tandem unciales. Bracteæ inter flores oblongæ. Corolla violacea, tubo limbum ſuperante. Fructum non perfecit. Ex Promontorio bonæ Spei. Siſtitur ſumma pars caulis cum aucta corolla. Floret Auguſto & Septembri.

20. SELAGO CORYMBOSA. *Linn.*

Tota ſubodorata eſt. Frutex bipedalis, ſempervirens, totus ramoſus & denſiſſime folioſus, difformis, debilis; trunco fusco, tereti, calamum craſſo; ramulis virentibus & villoſulis. Folia numero incerto fasciculata, filiformia, integerrima, obtuſula, ad oras per lentem rariter hirtula, ſeſſilia, patentiſſima, læte virentia. Ramuli terminales corymboſi, erecti, filiformes, villoſi, foliolis minimis alternisque veſtiti, plus minus unciales, ſummitate in alios ramulos breves corymboſe diviſi, in quibus flores ſitu alterno locantur ſubpedicellati cum aliis paucis terminalibus ſeſſilibus. Bracteola ad ſingulos flores linearis, concava, hirtula, longitudine calycis, cui appreſſa. Figura Commelini habitum plantæ quidem noſtræ repræſentat, ſed folia multo latiora floresque majores quam in horti individuis, quæ exacte ſpeciminibus capenſibus ſiccis congruunt. Perianthium monophyllum, quinquepartitum, perſiſtens; laciniis linearibus, acutis, ſubæqualibus, erectis, villoſulis, ciliatis. Corolla monopetala, alba. Tubus infundibuliformis, longitudine calycis. Limbi quinquefidi laciniæ oblongæ, obtuſæ, ſubæquales, patentiſſimæ, tubo longiores. Filamenta quatuor, filiformia, longitudine corollæ, quorum duo interiora ſurſum, exteriora duo longiora deorſum flexa. Antheræ oblongæ, incumbentes, luteæ. Germen ſubrotundum. Stylus filiformis, ſere longitudine ſtaminum. Stigma bifidum, obtuſulum. Fructum non perfecit.

21. SELAGO POLYSTACHYA. *Linn.*

Frutex bipedalis, ramosus, fere totus foliosus; trunco calamum crasso; ramis teretibus, adultis fuscis & glabris, junioribus ad lentem subvillosis. Folia plura fasciculata, linearia, obtusa, sessilia, carnosula, glabra, vix unam tertiam unciæ partem longa, omnino numerosa & dense posita. Corymbus terminalis ex spicis plusculis multifloris erectis & sescuncialibus. Bractea ad singulos flores lanceolata, acuta, ciliata, hirtula, calycis longitudine. Commelini a Linnæo citata planta mihi non videtur huc pertinere. Perianthium monophyllum, semiquinquefidum, persistens; laciniis lanceolatis, acutis, subæqualibus, erectis, hirtis, ciliatis. Corolla monopetala, alba. Tubus cylindricus, calyce paulo longior. Limbi quinquefidi laciniæ oblongæ, obtusæ, patentissimæ, longitudine tubi, quarum duæ superiores paulo breviores & angustiores. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, faucem corollæ parum superantia, quorum duo paulo longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes, luteæ. Germen subrotundum. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigma obtusum. Semina non tulit. Floret in horto Augusto & Septembri.

22. NERIUM ODORUM. *Kew.* Tab. 3. Fig. 2.

Adeo simile Nerio Oleandro, ut diu ceu mera ejus varietas habitum, cum eodemque fuerit confusum. Optime tamen & certissime distinguitur ab Oleandro foliis calycinis totis erectis, nectariisque multo magis divisis. Tum folia solent esse longiora, in silvestri specimine fere semipedalia. Odor etiam huc aliquid facit, qui autem sæpe debilis est. Sistitur ramulus cum floribus pallidis, tum seorsim flos ex alia stirpe profunde purpureus.

23. MELANTHIUM CILIATUM. *Linn.* Tab. 3. Fig. 3.

Bulbus carnosus, albus, ovato-subrotundus, pisi magnitudine aut triplo major, tunicæ nigræ majori laxe inclusus; basi hinc concavus, unde fibræ radicales oriuntur; inde sulco longitudinali exaratus & ex basi bulbillum novum proferens. Folia inferiora radicalia & longe vaginantia, reliqua vere caulina, omnia respectu vaginarum alterna, lanceolato-linearia, acuta, ad oras per lentem minutissime cartilagineo-crenulata, basi cucullata, glabra, longiora semipedalia & dimidiam unciam lata. Caulis teres, glaber, simplex, pennam columbinam crassus, erectiusculus. Flores in summo caule pauci, alterni, sessiles. Petala unguiculata, lanceolata, externe rubra cum basi flava, intus flava cum basi rubra. Capsula uncialis cinerascit. Totus character genericus legitur in Collectaneorum volumine 4. pag. 100. Illic ceu novam speciem proposui sub titulo Melanthii uniflori; scilicet primis quatuor annis omnes individuæ plantæ, quæ plures floruere, unicum florem terminalem, hinc veluti pedunculatum, protulerunt; unde in errorem incidi, quem nunc corrigo, dum plantæ ad statum magis vegetum pervenisse videntur, cujusmodi unam tabula repræsentat cum bulbo, a tunicis liberato, utrinque conspecto.

24. GNAPHALIUM SQUARROSUM. *Linn.* Tab. 3. Fig. 4.

Caules plurimi suffruticosi ex radice ramosa in ambitum adscendunt, inferne magis minusve procumbentes, modo simplicissimi, modo ramosi, teretes, incani, lanuginosi, calamum crassi, a dimidio ad pedem longi, toti foliosi, terminati una cum singulis ramis in capitulum florum simplex vel compositum sessile convexumque. Folia alterna, sessilia, lingulata, obtusa, crassula, tota lanata & incana, integerrima, patula, inferiora longiora & sescuncialia. Flores parvi, odore balsamico præditi, subsessiles vel brevibus pedicellis lanatis donati. Calycis communis oblongi & imbricati squamæ lanceolato-lineares, mucronatæ, concavæ, ad oras denticulatæ, inferne lanatæ, superne glabræ & recurvatæ; intimæ in principio rubræ, dein, cum corolla prodit, albidæ. Corollulæ omnes infundibuliformes; fæmineæ in ambitu cum limbo quadrifido; hermaphroditæ in disco cum limbo quinquefido. Pappus pilosus. Receptaculum nudum.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret Majo & Junio. Siſtuntur caulis; aucti flos poſt expanſionem cum calyce radiato, idemque ante eandem.

25. HORTENSIA OPULOIDES. *Lamark.* Tab. 3. Fig. 4.

Caules plures, ſuffruticoſi, plus minus pedales, teretes, erecti, glabri. Folia oppoſita, breviter & craſſe petiolata, ovata, vel obverſe ovata, acuta, ſerrata, venoſa, nitida, craſſula, quatuor uncias longa & duas cum dimidia lata. Cyma terminalis, erecta, ampliſſima, ſpecioſa, plerumque quinquefida; ramis ſubdichotomis rubentibus & inferne ſæpe bracteola una alterave caduca inſtructis. Flores in dichotomiis breviter pedicellati, erecti, fertiles, inodori. Reliqui omnes longe pedunculati, ſteriles ut plurimum; in quibus calyx monſtroſe augetur in foliola quinque vel quatuor maxima, ſescuncialis diametri, primo alba, dein eleganter roſea, tandem iterum cum virore albentia, in quibusdam individuis nunc denuo ſanguinea, & ultimo fusca, quando marceſcunt & pereunt, cæterum ovalia, obtuſula, expanſa, ſæpe inæqualia, nonnunquam corollam ſtaminiferam in centro gerentia, plerumque autem ſola petala quædam monſtroſa, quorum uti & ſtaminum numerus inconſtans eſt. Character florum fertilium hic obſervatus a me fuit. Scilicet Perianthii pentaphylli foliola ſunt lanceolata, acuta, patentiſſima & virentia. Petala quinque; lanceolata, acutula, concava, patentiſſima, calyce fere duplo longiora. Filamenta decem, ſubulata, patentia, petalis paulo longiora cum antheris didymis. Germen ſubrotundum. Styli duo vel tres, craſſi, recurvati, cum ſtigmatibus obtuſis. Capſula ſubrotunda, biroſtris vel triroſtris, ſeminibus numeroſis ovatis minutisque plena. Quantumvis a Junio & Julio, quando floruerunt, in caldario ad usque Februarium perſtiterint vegetæ ſubſequentem, capſulæque ad volumen pervenerint, quod in flore aucto tabulæ conſpicitur, non tamen fuerunt perfecte maturæ, ut de loculamentorum numero recte judicare potuerim. Viſum mihi germen eſt fuiſſe ſubinferum. Crescit in Japonia. Siſtuntur in tabula cymæ florentis ramulus; ad lentem auctus flos fertilis, a tergo conſpectus ſine ſtaminibus, a facie cum iisdem; dein tres flores ſteriles, ætate diverſi.

26. VELTHEIMIA UVARIA. *Wilden.* Tab. 4. Fig. 1.

Radices fasciculatæ, plurimæ, longæ, calamum & ultra craſſæ, pallidæ. Folia radicalia plurima, enſiformia, acute carinata, acuminata, ad oras ſcabra, cæterum glabra, quatuor & ultra pedes longa, debilia. Scapus centralis, teres, glaber, erectus, firmus, tripedalis, digitum craſſus, ſuperne in racemum ſpicæformem denſiſſimum erectum tandemque pedalem terminatus. Flores breviter pedicellati, numeroſiſſimi, denſiſſime imbricati, adhucdum clauſi rubri & patentiſſimi, expanſi flavi & penduli, fœtidi. Spathæ vagæ & ad pedunculos. Calyx nullus. Corolla uncialis, ſucco melleo plena, monopetala, tubuloſa, baſi globoſa, ſupra hanc incurva, dein verſus limbum ampliata; limbi ſexfidi laciniis ſemiovatis, rotundatis, concavis, breviſſimis, erectis. Filamenta ſex, ſubulata, ex receptaculo orta, erecta, corollæ ventri accumbentia, eadem multo longiora, flava. Antheræ oblongæ, ſubincumbentes, flaveſcentes, Germen ſuperum, ovato-pyramidale, triquetrum, flaveſcens. Stylus filiformis, ſitu ſtaminum. iisdem paulo longior, inferne virens, ſuperne flavens. Stigma trifidum. Capſula ovato-acuta, triquetra, glabra, fusca, trilocularis, trivalvis. Semina ſolitaria, nigra, nitida. Pedunculi in fructu eriguntur. Recte ab Aletri celeberrimus Wildenow ſeparavit. Capſula autem minime alata a Veltheimiis modice disjungit. Tabula exhibet ſpicam apud nos quotannis ab Aprili ad Junium ſpecioſam, florem ſeorſim, & fructus.

27. SAGUS RUFFIA. *Jacq.* Tab. 4. Fig. 2.

Videtur Palma Raphia eſſe, cujus mentionem facit celeberrimus Juſſieu in Generibus ſuis pag. 18. cui flores monoicos tribuit. Ex fide hortulani aulici Francisci Boos autoptæ, hæc palma colitur in hortis inſulæ Mauritii, dicta incolis Sagoutier de Madagascar, ubi ſilveſtris no-

men habet Russia. Frondes illi sunt pinnatæ. Spadices ex frondium alis pendent undique paniculati, aliquot pedes longi, cruris crassitie, densissimi, ex quibus in tabula mea duo parvi ramuli repræsentantur; colore illo, quo nunc sunt, expressi. Ergo non potest esse Palma Sagu Rumphii amb. vol. 1. pag. 74. tab. 18. Plures secum, ex semine enatas, palmulas vivas ex insula Mauritii attulerat, sed omnes in itinere ipso successive perierant. Hæc ille. Fructuum forma subrotunda a Sago Gærtneri differre videtur, nisi sic variet. Nunc spadices huc allatos describam, ex quibus totus character genericus facile intelligetur. Spadix in omnibus partibus suis nitet, compositus ex substantia fibrosa tenaci. Omnes ejus rami ramulique vestiuntur vaginis circularibus imbricatis. Ex hisce singulis in ramulis ultimis situ disticho & alterno flores solitarii exeunt, superne soli mares pedicellati, inferne longo ordine solæ fæminæ sessiles. Maribus perianthium est triphyllum ex foliolis lanceolato-oblongis, acutis, concavis, & erectis. Corolla nulla. Filamenta sex, lanceolata, acuta, erecta, brevia. Antheræ hastatæ, longæ, erectæ, calyce breviores. Pistilli ne vel rudimentum conspicitur. Fæminis perianthium est triphyllum, inferum; foliolis mutuo sese involventibus & germen arcte circumdantibus; extimo bipartito, in altera opposita parte profundius, rotundato, fere longitudine germinis; subsequo duplo breviori, hinc rotundato & integerrimo, inde successive decrescente ad basin bifidam; tertio & intimo ovato cum ore integro, totumque germen ferme ambiente. Stamina nulla. Germen ovatum. Stylus brevissimus, erectus. Stigma simplex. Pericarpium subrotundum, stylo acuminatum, parvi pomi magnitudine, uniloculare, cortice donatum nitidissimo & in gibbulos rhombeos sulco longitudinali medio inscriptos elevato; qui in germine sunt squamæ deorsum imbricatæ & arcte appressæ. Semen unicum, subovatum, osseum, fissuris exterioribus in substantiam penetrantibus. Figuræ indicant *a* ramulum fructescentem; *b* ramulum florentem cum germinibus quibusdam jam in fructum abeuntibus; *c* semen; *d* idem transverse sectum; *e* partem corticis pericarpii, ut ejus crassities & interior superficies pateant; reliqua aucta, *f* squamam ramuli florigeram, in cujus altero latere sedet fæmina; *g* florem masculum integrum; *h* eundem dempto calyce; *i* fæminam auctam; *l* eandem ex opposito latere visam; *m* eandem dempto calycis foliolo extimo; *n* præcedentem ex latere opposito; *o* eandem post dempta duo foliola exteriora cum solo foliolo superstite intimo; *p* pistillum.

28. ACALYPHA INDICA. *Linn.*

Ex radice annua caulis attollitur sesquipedalis, calamum crassus, totus ramosus, teres, hirsutus, erectus, purpurascens. Rami patentes, hirsuti. Folia ovata, acuta, argute serrata, rugosula, utrinque villosa, ab una ad duas uncias longa, petiolo suo modo longiora, modo breviora aut æqualia. Spicæ masculæ in eadem planta distinctæ, graciles, lineares, aphyllæ, plus minus unciales, ad folia inferiora axillares, supra basin involucro fæmineo sessili connivente & sterili instructæ. Spicæ fæmineæ terminales & in summis foliis axillares, cylindricæ, totæ hirsutæ, erectæ, breviter pedunculatæ, subunciales, densæ. Involucrum singulis flosculis subrotundum, concavum, apice late truncato fere ad unam tertiam acute inciso-dentatum. Crescit in Malabaria & Zeylona. In caldario floret a Julio ad Septembrim.

29. ACALYPHA VIRGATA. *Linn.*

Tota glabra. Caulis fruticosus, teres, striatus, ramosus, fuscus, sexpedalis, pollicem crassus. Rami virgati, ab uno ad tres pedes longi. Folia alterna, subbifaria, breviter petiolata, lanceolato-ovata, cuspidata, obsolete serrulata, venulosa, tres quatuorve uncias longa cum petiolo purpurascente & vix semunciali. Crescit in Jamaica. Per plures jam annos in caldario horti Schönbrunnensis culta vegetat lætissime, sed florere negat.

30. BOEHMERIA RUBESCENS. *Jacq.* Tab. 5. Fig. 1.

Est Urtica arborea Linnæi, ab Urticis separanda. Caulis arboreus, ramosus, erectus, teres, glabriusculus, fuscus, octopedalis; ramis junioribus dense villosis & virentibus. Folia

alterna, petiolata, elliptica, acuminata, obſcure crenulata ut videantur integerrima, utrinque villoſa, trinervia, venoſa, longiora quatuor vel quinque uncias longa cum petiolo villoſo ſescunciali. Sub finem Maji ex tepidario in dium translatæ folia ſucceſſive utrinque ſanguineum colorem adipiscuntur. Folia ſumma ſemper minora evadunt, tandem bracteis ſimilia; ex quorum alis ſpicæ egrediuntur unciales aut longe breviores, quas flores minuti inodori & aggregati occupant. Hæ omnes paniculam ſimul formant ſatis amplam. Flores masculi & fæminei plerumque ſic miſti ſunt, ut fæmina una locetur duos inter mares. Nonnunquam tamen mas alter deficit. Mares etiam interdum ſine ulla fæmina ſoli totas ſpiculas obſident. Involucrum hexaphyllum ex foliolis lineari-lanceolatis acutis hirſutis rubrisque mares & fæminam ſuscipit, dum ante fæminam utrinque adhuc aliud foliolum acuminatum & breviſſimum modo adeſt, ſæpius deficit. Maribus perianthium eſt tetraphyllum; foliolis oblongis, concavis, obtuſis cum mucrone, villoſulis, albis cum affuſa purpura, erectis. Corolla nulla. Filamenta quatuor, ſubulata, craſſa, albida, antico margine tuberculis inæqualia, calyce longiora, inferne erecta, ſuperne recurvata. Antheræ oblongæ, didymæ, albidæ. Piſtillum nullum. In fæminis calyx & corolla deſiderantur. Germen eſt ovatum, albidum. Stylus craſſus, ruber, erectus, hirſutus, maribus longior, deſinens in ſtigma clavatum obtuſum rubrum & villoſum. Semen unicum, nudum, fuscum. Crescit in Tenerifa. Floret primo vere. In tabula repræſentatur folium rubeſcens; dein aucta omnia eo ordine, quo ſeſe excipiunt; fæmina; pedicellus cum duobus maribus unaque fæmina; ſtamen; calycis masculini foliolum a dorſo viſum; mas; pedicellus cum uno mare nondum expanſo & una fæmina.

31. EHRETIA LAXA. *Jacq.* Tab. 5. Fig. 2.

Hujus arboris deſcriptionem & figuram dedi in Horto Schönbrunnenſi. Anno 1798 tandem primos maturos fructus dedit; baccas ſcilicet ſubrotundas, pulpoſas, rubras, magnitudine piſelli, quatuor ſeminibus fœtas. Ramulum fructeſcentem ſemenque hic exhibeo.

32. MORUS MAURITIANA. *Jacq.* Tab. 5. Fig. 3.

In Collectaneorum volumine tertio arborem deſcripſi, foliis integris donatam. Quotannis fructus maturos copioſe largitur, ex quibus plurima ſoboles enata fuit. Hæc primis annis folia inferne panduriformia habet, cujusmodi ramum tabula ſiſtit.

33. ASTER FRUTICULOSUS. *Linn.* Tab. 5. Fig. 4.

Caulis fruticoſus, paniculatus, teres, erectus, fusceſcens, baſi digitum craſſus, bipedalis. Folia conferta, in ramulis primum prodeuntibus veluti fasciculata, ex oblongo linearia, obtuſa, integerrima, breviſſime petiolata, ad lentem punctis elevatis denſe bullulata, cæterum glabra, ſemuncialia. Pedunculi ex ramulis terminales, ſolitarii, uniflori, graciles, biunciales. Calycis cylindrici & nitidi ſquamæ interiores ad apicis marginem caſtaneæ. Corollulæ radii cæruleæ, tridentatæ. Corollulæ disci flavæ cum limbo quinquefido. Et alia ad characterem Linnæi. Ex Promontorio bonæ Spei. Floret Majo & Aprili. Ramulus florens ſiſtitur. Commelini figura individuis noſtris minus convenit.

34. DISANDRA PROSTRATA. *Linn.* Tab. 6. Fig. 1.

Tota planta hirtula eſt. Ex radice perenni caules plures in ambitum egrediuntur herbacei, teretes, longiſſimi, proſtrati, ad ſingula folia radicantes. Hæc ſunt alterna, reniformi-orbiculata, crenata, longe petiolata, venoſa. Pedunculi uniflori, axillares, tres quatuorve mutuo ſuccedentes, plus minus longitudine petiolorum. Corolla lutea. Flores partium numero quam maxime variant. Numeroſiſſimos, quos in pluribus plantis florentes vidi, ſic apud nos variare vidi. Fere tot erant corollæ quinquepartitæ quot ſexpartitæ, eæque omnes regulares; pauciſſimæ ſeptempartitæ, & hæ pleræque irregulares, ut ſeptima lacinia aliis incumberet,

imo ſæpe minor verticaliter interjiceretur. Nec in his numerum ſequebantur aut filamenta aut calyx, numero inferiora. In quinquefidis & ſeptemfidis ſemper calycem quinquefidum, in ſexfidis eundem ut plurimum ſexfidum & rarius quinquefidum inveni. In quinquefidis ſtamina ſemper quinque, in ſexfidis ſena vidi. Videtur ergo planta potius ad pentandriam eſſe amandanda. Creſcit in Madera. Floret æſtate. In tabula exhibentur planta ipſa & auctum piſtillum.

35. FAGARA SPINIFEX. *Jacq.* Tab. 6. Fig. 2.

Frutex decempedalis, ramoſus, diffuſus, totus glaber; ramis cinereis, teretibus, junioribus viridibus. Folia alterna, in ramis lignoſis ſæpe faſciculatim prodeuntia, pinnata, petiolata, inermia, trijuga vel quadrijuga cum impari. Coſta anguſte alata, biuncialis. Foliola oppoſita, ſubſeſſilia, obverſe ovata vel elliptica, integerrima, obtuſa, ſubemarginata, longiora uncialia, ſaporis pauci ingrati, trita odoris pauci. Spinæ ad ortum foliorum geminæ, ſubulatæ, rectæ; in trunco ramisque ſparſæ, quæ baſi quam maxime incraſſantur ætate, ac ſi ex tuberculo ortum ducerent. In caldario menſe Octobri ex foliorum axillis gemmæ florum prodeunt, quæ ad hiemis adventum ſine explicatione iterum marceſcunt. Creſcit ad Caracas. Siſtuntur pars trunci inferioris, pars rami ſenioris, & ramulus folioſus.

36. ARALIA CAPITATA. *Linn.* Tab. 6. Fig. 3.

In hac arbore ſummitates ramulorum gemmam producunt ovatam, ex plurimis ſtipulis ovatis vel oblongis compoſitam, quæ expanduntur, folia ex alis ſuis emittunt, brevique decidunt. Talis gemma hic figura exprimitur.

37. HYPERICUM CALYCINUM. *Linn.* Tab. 6. Fig. 4.

Caules plures, ſuffruticoſi, ramoſi, fuſci, calamum craſſi. Rami tetragoni, pedales, adſcendentes, virides. Folia oppoſita, ſeſſilia, oblonga, acutula, integerrima, glabra, ſupra nitida, diſticha, fere triuncialia. Pedunculus terminalis, ſolitarius, uniflorus, erectus, ſeſcuncialis, baſi bracteolis duabus ovalibus patulisque ſuffultus. Calycis foliola late ovata, rotundata, ſubcoriacea, glabra, integerrima, petalis multo breviora. Corolla diametri triuncialis, lutea, patentiſſima. Stamina petalis paulo breviora. Styli quinque. Capſula ovata, acuta, cernua, quinquelocularis, quinquevalvis. Floret ſub dio menſe Julio. Creſcit circa Conſtantinopolim. Figura exhibet ramulum florentem & fructum.

38. HYPERICUM BALEARICUM. *Linn.*

Frutex duos treſve pedes altus, diffuſus. Caulis ſenior glaber, digitum minimum craſſus, ferrugineus cum epidermide fuſca ſecedente lacera. Junior ramique teretes & purpuraſcentes tuberculis cartilagineis denſiſſime obſidentur & exaſperantur. Folia ſunt oppoſita, ſeſſilia, parva, ex ſubrotundo ovata, obtuſa, repandula, rigida, ſubundulata, carnoſula, utrinque ſimilibus tuberculis donata, cæterum glabra, atrovirentia, ſaporis tritaque odoris ingrati. Flores terminales, ſolitarii, breviter pedunculati, odorati, diametri fere ſeſcuncialis. Calycis brevis foliola ſubrotunda, obtuſa, concava, glabra. Petala lutea, longitudine ſtaminum. Styli quinque. Capſula ovata, obſolete pentagona, acutula, glabra, quinquelocularis, quinquevalvis. Creſcit in Majorca. Floret Junio & Julio.

39. HYPERICUM ANDROSAEMUM. *Linn.*

Totum glabrum. Caulis fruticoſus, anceps. Folia oppoſita, ovata, obtuſa, integerrima, ſeſſilia, triuncialia. Pedunculi terminales, plures, ſubdichotomi, etiam uniflori, erecti, foliis duplo breviores, ex ſummo foliorum pari, tum etiam interdum axillaris alius ex proximo foliorum pari. Flos vix uncialis diametri. Calycis foliola rotundata, inæqualia. Filamenta petalis luteis paulo longiora. Styli tres. Capſula ovata, trilocularis, ante maturitatem

rubens nitida baccamque mentiens, dein fusca & trivalvis. Semina numerofa, oblonga, minuta. Sub dio floret Junio & Julio. Crescit in Anglia, Gallia narbonenfi, Italia.

40. HYPERICUM HIRCINUM. *Linn.*

Totum glabrum, tritumque fœtens. Caulis fruticofus, ramofus, anceps, tripedalis & ultra, erectus. Folia funt oppofita, feffilia, ovata, obtufa, integerrima, ab una ad duas uncias longa. Pedunculi terminales ramofi ex duabus paribus oppofitis & terminante impari; alii axillares in fummis foliis folitarii, oppofiti, bifidi & biflori; omnes erecti & foliis breviores. Calycis foliola ovata, obtufa, virentia, duo minora tribus reliquis. Petala flava, calyce duplo majora, ftaminibus paulo breviora. Germen ovatum. Styli tres. Capfula ex fubrotundo ovata, fusca, ftylorum parte mucronata, trilocularis, trivalvis. Crescit in Europa meridionali. Floret fub dio Julio & Augufto.

41. HYPERICUM CANARIENSE. *Linn.*

Totum glabrum. Caules plures, fruticofi, teretes, ramofi, erecti, fusci, pennam columbinam vel calamum craffi. Folia oppofita, fubfeffilia, angufte lanceolata, acuta, integerrima, a dimidia ad fesquialteram unciam longa. Pedunculi terminales & ex fummis foliis axillares, ramofi, foliolis parvis bracteati, fimul paniculam formantes erectam. Flores odorati, diametri uncialis. Calycis virentis foliola ovata, obtufa, inæqualia, quædam fæpe inferne connata. Petala flava, oblonga, obtufa, concava, patentiffima, calyce quadruplo longiora. Stamina flava, fere longitudine petalorum. Germen ovatum. Styli tres, bafi divaricati. Capfula ex ovato oblonga, acuta, obfolete trigona, glabra, trilocularis, trivalvis. Floret æftate. Crescit in infulis Canariis.

42. HYPERICUM MONOGYNUM. *Linn.*

Totum glabrum. Caulis fruticofus, ramofus, diffufus, teres, fuscus, digitum craffus, bipedalis. Folia oblonga, obtufa, integerrima, oppofita, feffilia, fescuncialia. Pedunculi terminales, plusculi, uniflori vel bifidi & biflori, erecti, foliis breviores. Flores inodori, diametri biuncialis. Calycis foliola oblonga, obtufa, patentiffima, in flore pallide virentia, poft petalorum lapfum rubefcentia & brevi tota atrofanguinea. Petala obverfe ovata, flava. Filamenta longitudine corollæ, flava. Germen fubrotundum. Stylus unicus, erectus, longitudine ftaminum. Stigma quinquefidum, patulum. Capfula non maturuit. Crescit in China. Floret apud nos æftate.

43. OXALIS PECTINATA. *Jacq.* Tab. 6. Fig. 5.

Hæc planta nonnunquam flores habet plenos, & ftaminibus piftilloque plane caret. Figura duos iftiusmodi flores repræfentat. Anno 1798. ex bonæ Spei Promontorio numerofi bulbi Oxalidis cernuæ transmiffi anno fubfequo fere omnes flores plenos produxerunt, uti in figura fexta videre eft.

44. POTHOS GRANDIFOLIA. *Jacq.* Tab. 7. Fig. 1.

Tandem menfe Septembri anno 1799. primos fructus maturos produxit in uno fpadice, cujus partem inferiorem ad medietatem usque occupabant denfiffimo agmine baccæ obverfe ovatæ, truncatæ, a vicinis comprimentibus obtufe & obfolete angulatæ, biloculares, fanguineæ cum fuffufo colore violaceo, tandem deciduæ & a filis tribus quatuorve pendulæ, eadem ratione ac in Potho craffinervia. Semina folitaria, obverfe ovata, glabra. Baccæ minores unicum femen continent, altero abortante. Anno 1790, quo in Collectaneorum volumine quarto defcriptionem hujus plantæ concinnavi, caule omni carebat, unde acaulem dixeram, & pro radice folas habe-

bat fibras fasciculatas teretes longasque, nullibi nodosa rubrave; unde concludebam esse diversam a Plumieri Dracontio in Plantis americanis pag. 48. descripto delineatoque, & a Swartzii Potho macrophylla. Ab illo tempore planta caulem attollere cœpit, nunc sesquipedalem carpumque crassum, radicantem, & a foliorum delapsorum cicatricibus vere & quam maxime nodosum, quem tamen Plumierus perperam radicem nuncupavit. Cum illustri Swartz credo nunc, suam, Plumerianam meamque stirpem esse eandem, quamvis caulis in planta horti Schönbrunnensis neutiquam rubra sit, sed carnem habeat pallidam cum centro circuloque flavo & ad marginem virentem, quæ coloris diversitas forte pendebit a loci & climatis discrimine. Ut melius hæc res oculis pateat, adjunxi in tabula partem caulis cum sectione transversa. Læsus glutine adstringente & cum acredine exsiccante obducitur. Nodorum superficies plana primo substantia rubiginosa, fungum igniarium mentiente & molli tegitur, dein fusca, tandem cinerea evadit, æquabilis & glabra. Nomen triviale Swartzii haud coincidit cum meo, nam τὸ μακρὸν Græcis longum est, nec magnum; & longitudo atque magnitudo ideas excitant non easdem. Nescio, quo pacto Botanici voce illa abusi sint; dum Convolvulum Solanumque vocaverint macrocarpum loco megalocarpi, quæ duæ plantæ fructus subrotundos, hinc sane non longos, proferant. Idem de macrorrhizo & macrophyllo. Tabula exhibet partem caulis, scapum fructescentem, ejusdem transversam sectionem, & semen; quod terræ commissum post quadraginta dies germinat, a radicula ad superficiem terræ elevatur, uti in adjecta figura videre est, dein primum folium cordatum promit, ut in figura altera.

45. CINERARIA VISCOSA. *Ait. Kew.* Tab. 7. Fig. 2.

Ex Promontorio bonæ Spei. In horto Kewensi dicitur esse biennis. Apud nos altero quidem tertiove ætatis anno perire solet; sed habemus unam individuam plantam, quæ jam novennis est; & caule gaudet lignoso, fusco, tereti, basi digitum crasso, & octo uncias alto; ut forte in patria suffrutex sit. Folia sunt sparsa in ramulis junioribus viridibus villosis & viscosis, in petiolum angustata, parva, pinnatifide lobata, acuta, tota villosa & viscosa. Pedunculi terminales, uniflori, erecti. Calycis communis cylindrici & suboctophylli squamæ lineari-lanceolatæ, concavæ, acutæ, æquales, erectæ, hirsutæ, viscosæ, virentes, unius ordinis. Corollulæ in radio fæmineæ, albæ, circiter quinque. Tubulosæ in disco circiter decem, sordide aurantiacæ. Antheræ luteæ. Calyx in fructu patentissimus. Floret a Julio ad Augustum. Sistitur in tabula plantula biennis ad radicem truncata, auctus flos radii.

46. CORYPHA MINOR. *Linn.* Tab. 7. Fig. 3.

Descriptionem & figuram dedi in Horti vindobonensis volumine tertio. Singulariter se habet ejus radix, quæ ex basi rotundata squamisque vestita attollitur sæpius extra terram in semipedalem erectumque conum; dum semper ad superficiem terræ folia sine omni caudice egrediuntur. Hæc in planta adultiore nunc jam simul habent tres pedes in diametro, innixa petiolo plusquam tripedali. Figura exhibet istiusmodi radicem. Aliæ duæ in horto Schönbrunnensi coluntur palmæ, quæ simili radice adhucdum altiore gaudent, etiam flabelliformes, inter sese species distinctæ; altera ex Caracas sub titulo Palma redonda advecta, altera ex Florida.

47. CORYPHA UMBRACULIFERA. *Linn.*

Unicam possidet hortus Schönbrunnensis individuam hujus speciei plantam, jam anno 1753 ex Hollandia adlatam. Lentissimi incrementi, quotannis unicum folium protrudit & explicat, dum unicum quoque marcescere solet. Truncus nunc est infra folia quadripedalis & diametri sesquipedalis, sed totus adhuc petiolorum reliquiis adhærentibus vestitus. Folia omnino sunt duodecim plus minus. Petiolus est septempedalis, carpum inferne crassus, dorso teres, facie canaliculatus, glaber, erectus. Folia sunt vere pinnatifida, sed ob pinnarum ad duas tertias usque connatarum dispositionem & directionem flabelliformia, novem pedes lata, quinque pedes longa, circumscriptione subrotunda, plicata, nitida. Costa tripedalis est. Pinnæ utrinque

circiter quadraginta cum impari, ad oras integerrimæ, acuminatæ, ſemibifidæ, cum interjectis filis. Crescit in Malabaria.

48. HYPOXIS ALBA. *Linn.* Tab. 7. Fig. 4.

Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, avellanæ nucis magnitudine, orchidum more ſupra fibris radicalibus auctus. Folia pauca, ſubteretia, acutula, erecta, vix ſemipedalia, una cum ſcapo baſi plusculis ſpathis incluſa. Scapus teretiusculus, gracilis, ſanguineus, erectiusculus, inferne bifidus ibidemque duobus foliolis oppoſitis canaliculatis & ſemuncialibus veſtitus, biflorus, circiter longitudine foliorum, infra germina geniculatus. Petala ſupera, lanceolata, acuta, patentiſſima, tria interiora utrinque alba, tria exteriora intus alba & foris ſordide purpurea. Filamenta ſex, filiformia, erecta, breviſſima, alba. Antheræ oblongæ, haſtatæ, erectæ, magnæ, luteæ. Germen lineare, triſulcatum, ſanguineum. Stylus erectus, breviſſimus. Stigmata tria, oblonga, erecta, flava, longitudine ſtaminum. Ex Promontorio bonæ Spei. Floret Octobri. Tabula repræſentat totam plantam, auctumque ſtigma. Quam ſub hoc titulo in Collectaneorum volumine quarto deſcripſi, hujus varietas eſt.

49. LATANIA RUBRA. Tab. 8.

Plurimas alit hortus Schönbrunnenſis in caldariis plantas hujus ſpeciei. Ex ſemine pleræque ante decem annos enatæ caudice vix pedali gaudent, paucæ ex patria transvectæ duplo altiori, ſed tamen vix carpum craſſo totoque foliorum præteritorum reliquiis adhærentibus adhucdum onerato, quæ tandem abſcedunt, truncumque relinquunt æquabiliorem. Frondes plurimæ, umbelliformes, inermes, erectiusculæ. Stipes bipedalis, digitum craſſus, dorſo convexus, facie canaliculatus, glaber, ſanguineus, firmus. Frondis foliola ensiformia, acuminata, interiora nonnunquam apice acute bifida, plicata, juniora nervo dorſali medio & ad oras ornata lana alba ſponte ſecedente nec in adultis foliis ultra viſibili, omnia in latere exteriori aculeato-ciliata, in interiori plerumque (nec tamen ſemper) inermia & integerrima, cæterum glaberrima, ad oras rubra, tota magis minusve livore perfuſa, in pauciſſimis individuis ejusdem certo ſpeciei absque omni purpura lætiſſime virentia, majora bipedalia, profunde ſecta. Ingentem fructuum numerum attulit hortulanus Boos ex Mauritii inſula, ubi Latanier rouge vocatur, & fructus adhuc virides carnoſuli & immaturi ab incolis colliguntur, & ſuibus porriguntur in escam. Adlati omnes baſi perforati ſunt, quo ſcilicet loco racemo adhæſerunt, ut calyx videatur in hoc manſiſſe, quem ignoramus, uti totam floris compoſitionem. Fructus maturus eſt drupa corticoſa, ſubrotunda, fusca, glabra, juglandis magnitudine vel minor, unilocularis. Nuces tres, hinc convexæ, inde angulatæ, contiguæ, uniloculares. Nucleus ſolitarius, oſſeus, ſolidus. Miſtæ ſunt drupæ minores, unica nuce fætæ. Crescit in inſulis Mauritii & Borboniæ. In horti caldariis lætiſſime vegetant. Tabula repræſentat folium ſemitruncatum ex planta minore; aucti ad lentem folioli oram & nervum dorſalem medium; plantulam adhuc tenellam in horto ex ſemine enatam, cum adhærente nuce ex drupa monoſperma, ad ſuperficiem terræ elevata; drupam triſpermam, tres ejusdem nuces, unam hanc ſeparatam, ejusdem nucleum; tandem drupam cum unica nuce contenta, & hujus nucleum. Nullus dubito, quin palma illa, cujus mentionem facit illuſtris eques de Lamark in Encyclopediæ botanicæ volumine tertio pagina 427, & cujus frondes ſine ulla fructificatione repertæ ſunt in herbario Commerſoniano, additæ frondibus Lataniæ borbonicæ, ſit eadem cum hac Latania mea rubra. Si deinde, quod ſuſpicari omnino poſſumus, utraque ad idem genus pertinet, habebimus nunc generis characterem magis completum, ex Juſſieui Latania borbonica florem masculum, & ex Latania rubra mea fructum, ſtirpem ſcilicet dioicam monodelpham polyandram cum drupa uniloculari & triſperma.

50. PASSIFLORA? GUAZUMAEFOLIA.

Anno 1789. horti Schönbrunnenſis ingreſſus caldarium, vidi fruticem humanæ altitudinis, erectum, trunco tereti pollicemque craſſo præditum, ramoſum, patria ignota, ſic ſimilem Theo

bromati Guazumæ, ut vix diſtingui habitu foliisque potuerit, & hinc ab hortulano inter plura iſta Theobromata locatum, unico flore pedunculato axillari donatum, & altero, quem tulerat, in terram delapſo, jam marcido. Hanc brevem deſcriptionem illico concinnavi. Folia alterna, petiolata, cordato-ovata, acuminata, inæqualiter & obtuſe ſerrata, rugoſula, ad lentem utrinque rariſſime piloſula. Involucri foliola viridia, unum alterumve colore ſanguineo tinctum. Calyx totus ruber. Petala coccinea. Flos unciam ſuperat longitudine. Calyx poteſt dici duplex. Exterior Involucrum pentaphyllum ex foliolis ellipticis, utrinque acutis, ſubſeſſilibus, inæqualibus, laxis, integerrimis, longitudine perianthii. Interior Perianthium monophyllum, tubuloſum, ſubventricoſum, erectum; ore quinquedentato, parvo, erecto. Petala quinque, ſpathulata, obtuſa, latitudine inæqualia, in unguem longum deſinentia, erecta, calyce paulo longiora. Stamina & piſtillum columnæ communi inſidebant, corollæ incluſa. Hæc in flore delapſo ſemiputruerant, nec poterant rite dignosci; quod nec in flore, arbusculæ inhærente, absque dilaceratione fieri potuiſſet, a qua autem ſpe fructus abſtinui. Poſt triduum in hortum reverſus, florem decerptum dolebam. Poſt annum nec ultra inveniebatur arbuscula. Quam habitu arboris erecto cirrorumque defectu a Paſſifloris diverſa!

51. MOROEA COLLINA. *Thunb.*

Tota glabra eſt. Bulbus ſubrotundus, avellanæ magnitudine. Folium unicum, recurvatum, ſublineare, canaliculatum, ſtriatulum, acutum, flaccidum, glauco rore pallide virens, duos tresve pedes longum. Scapus teres, parumper flexuoſus, debilis, modo ſimplex, modo ramoſus, ſpathis vaginantibus lanceolato-linearibus acutis erectisque veſtitus, ſesquipedalis. Flores haud grate odorati & pedicellati ex ſpathis ſucceſſive prodeunt convolutis & acuminatis pauci. Corolla plerumque roſea, rarius ſulphurea, diametri biuncialis & ultra. Petala ſex, ſupera, ex cuneiformi oblonga, plana, acuta, a baſi ad medietatem fere usque maculam habentia flavam; quorum tria exteriora latiora baſi interna gerunt foveam glanduloſam. Filamenta tria, brevia, erecta, alba, in unam columnam connata. Antheræ lineares, erectæ, flaveſcentes, ſtigmati accumbentes. Germen lineare, teres. Stylus filiformis, erectus, longitudine filamentorum. Stigmatis trifidi laciniæ rotundatæ, planæ, denticulatæ, patentiſſimæ, bifidæ. Capſula gracilis, acuta, ſescuncialis, trilocularis, trivalvis. Semina plurima, ſubrotunda. Ex Promontorio bonæ Spei.

52. ATHANASIA CRITHMIFOLIA. *Linn.*

Tota glabra. Caulis fruticoſus, digitum craſſus, a quinque ad decem pedes altus, ramoſus, fuscus, debilis ut ſuſtentare ſe nequeat, una cum ramis ob cicatriculas a foliis delapſis relictas ad tactum inæqualis. Folia in ramis junioribus denſe ſparſa, linearia, integerrima, ſeſſilia, craſſula, acuta, ſuperne trifida, duas tresve uncias longa, odoris vix ullius, ſaporis amari ſubaromatici & ingrati. Pedunculi in ſummis ramis axillares, ſolitarii, graciles, erecti, plerumque uniflori, inferiores nonnunquam a duobus ad quatuor flores ſuſtinentes, paucis foliolis minutis inſtructi, omnes ſimul corymbum formantes denſum erectumque Calycis ſquamæ pallent cum appendicula obtuſa viridi. Flosculi numeroſi, lutei. Floret æſtate. Ex Promontorio bonæ Spei.

53. HIPPIA FRUTESCENS. *Linn.*

Odore pollet rorismarini graviori & forti; ſapore ingrato & ſubacri. Caules plures, fruticoſi, calamum craſſi, quinque vel ſex pedes alti, teretes, villoſuli, fusci, ramoſi, erecti, debiles. Rami juniores hirſuti. Folia alterna, numeroſa, petiolata, profundiſſime pinnatifida, utrinque & ad oras villoſa, biuncialia; lobis oblongis, obtuſis, fere ſeptem utrinque cum impari. Pedunculi ramoſi, corymboſi, terminales & ex ſummo uno alterove folio axillares, hirſuti, ad aliquot diviſiones bracteola ſuffulti. Corolla lutea. Character genericus in Mantiſſa Linnæi optimus; ad quam obſervo, numerum fœminarum non ſemper eſſe decem, ſed variare

a novem ad tredecim, & flores in disco esse hermaphroditicos cum germine minuto cumque stylo crasso & capitate truncato sine vero stigmate. Floret æstate. Ex Promontorio bonæ Spei.

54. MIMOSA SAMAN. Tab. 9.

Ex semine hic nata arbor decennis truncari debuit, cum caldario evadebat altior, sic octodecimpedalis, & tantum superne ramosa & subdivisa, totaque inermis. Truncus teres, erectus, inferne carpum crassus & hic cortice vestitus suberoso rimoso albo compressili facileque separabili, cæterum æquabilis & ex fusco cinereus. Rami patentissimi, teretes; juniores villosi, molles & sulcati. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, villosæ, deciduæ. Folia tota quanta villosa, mollia, viridia, bipinnata, pleraque sejuga vel quinquejuga, rarius quadrijuga vel trijuga, rarissime bijuga. Partialia infima plerumque sunt bijuga, quæ sequuntur trijuga, subsequa quadrijuga, dein quinquejuga, sejuga, & terminalia septemjuga. Si partialia infima sunt trijuga, in folio sejugo summa erunt octojuga. Atque hæc normalis progressio in plerisque obtinet, ut detur tamen exceptio, sed infrequentior. Costa princeps est pedalis vel sesquipedalis, basi calamum crassa, multisulcata. Costæ laterales sunt oppositæ, teretes, infimæ sescunciales, & sic increscendo summæ semipedales & ultra. Costas terminant necdum evolutas stipulæ caducæ. Foliola sunt oblonga, obtusa, integerrima, villulis minutis ciliata, venosa, brevissime petiolata, superiora gradatim majora, maxima triuncialia. Glandulæ subrotundæ depressæ & flavecentes locantur in costa principe inter omnes costas laterales, & in his inter omnes pinnulas, rarius quædam absentes. Ex hisce omnibus emanat gutta limpida, viscidula, dulcis cum misto acore, excussa sæpe revertens, tandem maculam relinquens nigram. Quum plures individuæ in caldario lætissime vegetent, semper vireant, nullum ramulum sponte amittant, nec ullum huc usque produxerint florem, opinor, frustra illum a me exspectandum esse. Propterea, ut ne stirpis novæ memoria casu intereat, in hoc opere figuram ramuli exhibeo, dein frustulum corticis ex trunco infimo, & legumen cum semine, quod adlatum ex patria Caracas fuit. Est oblongum, rectum, acutulum, compressum, crassum, glabrum, pulposum, bivalve, polyspermum, fuscum, octo uncias longum, unamque latum. Ab incolis vocatur *Saman.*

55. MIMOSA FASTUOSA. Tab. 10.

Mimosa hæc speciosissima primo vere & æstate in caldario horti Schönbrunnensis læte vegetat; hieme autem ingruente omnes ejus ramuli annotini marcescendo pereunt, ut nulla spes florum supersit. Hinc ad exemplar silvestre, optime conservatum, in quo flores figuram coloremque servasse dicuntur, & partim, quoad fieri potuit, ad plantam vivam, descriptionem hanc figuramque concinnavi, tum & leguminis transmissi. Humanam tantum altitudinem apud nos adipiscitur. Tota inermis. Caulis fruticosus, ramosus, erectus, una cum ramulis pube rubiginea dense tectus. Folia sunt alterna, alate & abrupte pinnata, trijuga vel quadrijuga; costa hirsuta, quadriunciali, totaque alata; pinnis ovalibus, acutis, integerrimis, subsessilibus, facie undatis, dorso transverse costatis, ad nervum venasque hirsutis, cæterum glabris, exterioribus multo majoribus, extimis quinque uncias longis. Stipulæ ovato-acuminatæ, pilis rubigineis hirsutæ. Pedunculi communes axillares & terminales, hirsuti, bracteis stipulæ similibus dense & imbricatim vestiti; ex quarum alis alii pedunculi communes exoriuntur, hirsutissimi, duas tresve uncias longi, propriis bracteis destituti, in summitate plures flores sessiles subspicatos erectosque sustinentes, quorum inferior nonnunquam bractea suffulcitur. Perianthium est tubulosum, coriaceum, hirsutum, fere unciale, ore quinquedentato acuto. Corolla monopetala, tubulosa, calyce duplo longior, omnium hirsutissima, sericea, ex flavo pallens, ore diviso in quinque dentes oblongos & obtusos. Filamenta numerosa, capillaria, erecta, purpurea, petalo duplo longiora, in tubum cylindricum fere ad altitudinem usque corollæ connata. Germen oblongum. Stylus filiformis, longitudine staminum. Stigma simplex, acutum. Legumen magnum, oblongum, rotundato-obtusum, compressum, totum hirtum, rubigineum, spirale, a sex ad undecim uncias longum, tres uncias latum, medulla dulci farctum, uniloculare, bi-

valve. Semina oblonga, compressa. Crescit ad Caracas. Sistuntur ramulus florens, legumen & semen.

56. GERANIUM CANESCENS. *Linn.*

Tota planta odorem habet debilem & ingratum. Radix ramosa, fere calamum crassa. Caulis fere ab ipsa basi multiramosus, diffusus, teres, fuscus, suffruticosus, quaquavorsum disjectus, debilissimus, tres quatuorve pedes extensus; ramis junioribus virentibus, erectis, villosulis, teretibus. Stipulae utrinque geminae, nonnunquam basi connatae, lanceolato-lineares, acutae, villosae, erectae. Folia alterna, petiolata, venosula, utrinque ad lentem villosula, facie virentia, dorso canescentia, circumscriptione subrotunda, quinquepartita; lobis subcuneiformibus, pinnatifide incisis, acutis; petiolo gracili & villoso breviora. Pedunculi communes graciles, villosuli, foliis longiores, bifidi & biflori, rarius uniflori, terminales, dein oppositifolii. Pedicelli longitudine pedunculi. Involucri foliola pauca, acuta, villosa. Calycis foliola lanceolata, striata, breviter aristata, villosa. Petala obverse ovata, emarginata, calyce fere duplo longiora, albida cum tribus striis purpureis. Semina villosula, nigricantia. Floret Junio & Julio. Ex Promontorio bonae Spei.

57. GERANIUM INCANUM. *Linn.*

Parum nec grate odoratum. Radix ramosa. Caules plurimi, suffruticosi & plures annos durantes, graciles, pennam columbinam rarius crassi, glabri, ferruginei, tripedales, decumbentes. Rami diffusi, herbacei, virides, hic illic purpurascentes, glabri, debilissimi. Folia pleraque opposita, subpeltata, ad basin usque quinquepartita ut fere digitata, circumscriptione subrotunda; lobis profundissime pinnatifidis ut ferme decursive pinnati; laciniis linearibus, acutis, ad oras revolutis, supra viridibus, subtus subcanescentibus & ad lentem villosulis. Petioli teretes, foliis duplo vel triplo longiores. Stipulae lineares, acutae, erectae, utrinque geminae, basi saepe coalitae. Pedunculi axillares, filiformes, a duabus ad quatuor uncias longi, uniflori saepius apud nos, vel biflori. Bracteae geminae, oppositae, acutae, parvae. Pedicelli filiformes, sescunciales. Calycis foliola lanceolata, aristata, striata, ad lentem villosula, aequalia. Petala obverse ovata, emarginata, tristriatula, patentissima, tota alba, calycem vix superantia. Filamenta decem fertilia, subulata, plana, erecta, inferne connata. Antherae flavae, subtus subrubentes. Germen ovatum, villosum. Stigmata albida. Arilli nigri, villosi. Ex Promontorio bonae Spei. Floret a Majo ad Julium.

58. LATANIA CHINENSIS. Tab. 11. Fig. 1.

Plures individuae hujus speciei palmae in caldariis horti Schönbrunnensis laete vegetant, adlatae ante decem annos ex insula Mauritii, ubi culta vocatur Latanier de la Chine; quod nomen assumpsi, donec ex fructificatione cognita elucescat, an dioica, an monoica, an vere ad Lataniae genus Jussieui pertineat. Truncum jam habet semipedalis diametri, vix sesquipedalem, sed basibus foliorum persistentibus adhucdum vestitum totum. Frondes sunt subpinnato-palmatae, glaberrimae. Stipes est triangularis, antice subcanaliculatus, dorso obtuse carinatus, firmus, viridis, inferne pollicem, superne digitum crassus, tres quatuorve pedes longus, ad utramque oram aculeis armatus validis rectis reflexis facileque abscedentibus, ad basin utrinque emittens cilia filamentosa, quibus mutuo sese amplectuntur. Frons ipsa flabelliformis, plicata, tota glaberrima & inermis, semicircularis, ultra medietatem divisa, quadripedalis; pinnis ensiformibus, plus minus utrinque vicenis, integerrimis, sine filis interjectis, acuminatis, superne profunde bifidis in lacinias ensiformi-lineares. Drupae racemosae, numerosae, figura & magnitudine olivae, glabrae, violaceo-virentes; cum pulpa pauca, ab aviculis expetita, uniloculares. Nux ejusdem figurae, fragilis, tenuis, unilocularis. Nucleus solitarus, osseus, albidus interne, foris cinereus, dorso gerens verruculam, cui subjacet corpus cylindricum, quod recta & horizontaliter protenditur in simile foramen, pertingens fere ad oppositam substantiam nuclei badiam.

Calyx persistit tripartitus & parvus. Numerosos inter adlatos fructus, quidam sunt gemelli & vere connati, uno calyce comprehensi, sed hi ratione reliquorum simplicium paucissimi. In tabula sistuntur folii pars, undique truncati; stipitis basis; fructus recens ex memoria hortulani autoptæ; fructus siccus duplicatus; hujus sectio transversa; fructus simplex; nux; nucleus ex dorso cum verrucula; idem antice spectatus cum macula badia ob abrasam cuticulam; ejusdem sectio perpendicularis; & sectio transversa.

59. MESEMBRYANTHEMUM CROCEUM. Tab. 11. Fig. 2.

Caulis fruticosus, ramosus, teres, glaber, cinereus, decumbens, ramis junioribus erectis. Folia semicylindrica, antice plana, ad dorsum nonnunquam obtuse angulata, ad lentem minutissime punctata, calamum crassa, pulposa, glauca, glaberrima, unciam vel sescunciam longa, fragilia, in ramulis necdum elongatis conferta, connata, recta. Pedunculi terminales, uniflori, solitarii, erecti. Calycis pentaphylli foliola oblonga, obtusa, glauca, inæqualia. Petala numerosa, oblonga, obtusa, calyce duplo longiora, utrinque crocea, subtus cum majori rubedine. Stamina brevissima. Ex Promontorio bonæ Spei. Tabula exhibet ramulum florentem, floremque seorsim a tergo.

60. PSORALEA PINNATA. *Linn.*

Caulis fruticosus, a quinque ad decem pedes altus, digitum minimum crassus, teres, glaber, erectus. Rami teretes, striati, virgati, hirsuti, debiles, sæpe reclinati. Folia sparsa, pinnata cum impari, numerosa. Costa hirsuta, uncialis vel brevior. Foliola utrinque duo vel tria, linearia, acuta, integerrima, a dimidia ad sescunciam longa, ad oras revoluta, supra punctata & glabra, subtus & in margine longe & rare pilosa, virentia. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, integerrimæ, hirsutæ, patulæ. Pedunculi axillares, uniflori, solitarii vel bini aut terni, hirsuti, suffulti bracteola stipulis simili. Flores debiliter nec grate odorati. Calyx hirsutus, punctatus, acuminatus, fere semiquinquefidus. Vexillum violaceum. Alæ albidæ cum levi suffuso cæruleo. Carina diphylla, alba cum macula superne atrosanguinea. Filamenta diadelpha. Antheræ luteæ. Legumen oblongum, glabrum, monospermum. Floret æstate. Ex Promontorio bonæ Spei.

61. PSORALEA BITUMINOSA. *Linn.*

Tota non grate odorata. Caulis fruticosus, quadripedalis, pollicem & ultra crassus, teres, fuscus, erectus. Rami diffusi, teretes; juniores, folia, stipulæ, pedunculi, bracteæ & imprimis calyces ad lentem villosula sunt. Folia sunt alterna, petiolata, ternata. Foliola lanceolata, acuta, integerrima, obsolete punctata, ciliata, sescuncialia, lateralia brevissime petiolata. Stipulæ lineari-lanceolatæ, acuminatæ, erectæ. Pedunculi axillares, solitarii, stricti, foliis duplo longiores. Flores a novem ad quindecim collecti in capitulum. Quibuslibet tribus floribus brevissime pedicellatis bractea subjicitur unica; exteriores latæ, semitrilobæ cum lobis semiovatis; subsequæ ita bilobæ; intimæ simplices & ovatæ; omnes cuspidatæ. Calyx hirtus pallet cum striis virentibus; dentibus acuminatis. Vexillum oblongum, lateribus reflexum, purpurascens cum duabus in medio disco lineolis saturatissime sic coloratis, supra unguem in utroque latere dentem exserens recurvum & album. Alæ oblongæ, albidæ. Carina dipetala albet cum apice atropurpureo. Filamenta diadelpha. Antheræ flavæ. Legumen oblongum, setis erectis fuscisque vestitum, in mucronem falcatum glabrumque desinens, monospermum. Floret æstate. Crescit in Italia & in Gallia narbonensi.

62. PSORALEA GLANDULOSA. *Linn.*

Tota gravi rutæ odore prædita. Caulis fruticosus, sæpe plures, quadripedalis, pollicem crassus, erectus, ramosus, teres, glaber, fuscus. Rami diffusi, teretes, ob glandulas minutas protuberantes ad tactum exasperati; quales etiam in petiolis adsunt. Folia alterna, petiolata,

ternata. Foliola lanceolata, acuta, integerrima, petiolata, glaberrima, per lentem imprimis in facie punctis glandulofis adfperfa; terminali majore fescunciali. Stipulæ geminæ, ex bafi lata acuminatæ, cito emarcidæ. Pedunculi axillares, folitarii, erecti, ad lentem villofuli, ad tactum glabri, terminati in fpicam fescuncialem. Flores ex iisdem punctis terni, breviter pedicellati, bracteola ovata concava & caduca fuffulti. Calycis viridis, pilis atris appreffis hispidi & femiquinquefidi, laciniæ lanceolatæ, acuminatæ, erectæ, ciliatæ, infima paulo longiore. Vexillum fubrotundum, patens, violaceum cum margine albido. Alæ oblongæ, obtufæ, concavæ, erectæ, longitudine vexilli, albæ. Carina dipetala, falcatula, obtufa, erecta, alis brevior, inferne alba, fuperne atroviolacea. Filamenta diadelpha. Legumen monofpermum, pilis atris hirfutum, calyci inclufum. Floret Junio fub dio, hiemem in tepidario agens. Crescit in Chili.

63. PEDALIUM MUREX. *Linn.*

Planta annua, tota fætidula & viscofula. Caulis, folia tota, pedunculi, calyx & corollæ margo funt villofa. Radix ramofula, albida. Caulis procumbens, parum ramofus, femipedalis, teres, viridis, calamum tandem craffus. Folia funt oppofita, petiolata, ovalia, obtufa, fupra medium dentata, craffula, plus minus uncialia cum petiolo breviori. Pedunculi axillares, folitarii, alterni, breves, in flore erecti, in fructu cernui & incraffati. Calyx viret. Corolla uncialis flavet, tubumque habet infra duas limbi fuperioris lacinias fingulas percurfum totum lineis quatuor fuscis. Antheræ flavent. Fructus fuscescit, intra terram apice bivalvi germinans. Character hic eft: Perianthium monophyllum, bafi germinis accretum, parvum, perfiftens, femiquadrifidum; laciniis lanceolatis, acutis, erectis, fpinescentibus. Corolla monopetala. Tubus trigonus, antice planus, dorfo & ad latera angulatus, erectus, longiffimus. Limbus bilabiatus, tubo triplo brevior, patentiffimus; laciniis quinque, fubrotundis, obtufiffimis; duabus labii fuperioris minoribus. Filamenta quatuor, filiformia, erecta, corollæ tubo duplo breviora, quorum duo reliquis longiora. Antheræ oblongæ, incumbentes. Germen ovatum, longitudine calycis. Stylus filiformis, longitudine ftaminum. Stigma bilabiatum; laciniis oblongis, patulis. Nux conico-tetragona, reticulate rugofa, fupra bafin fpinis quatuor fubulatis patentiffimis armata, bilocularis cum diffepimento oppofito. Semina non perfecit. Floret in caldario menfibus Junio & Julio. Crescit in India orientali.

64. DOLICHOS LIGNOSUS. *Linn.*

Frutex volubilis, glaber, diffufus, debilis; trunco digitum craffo; ramis fenioribus lignofis & cinereis, junioribus virentibus. Folia alterna, petiolata, ternata. Foliola rhombeo-ovata, acuta, integerrima, petiolata, fubtus glaucescentia, fescuncialia. Stipulæ & bracteæ fetaceæ. Pedunculi axillares, graciles, femipedales, apice a duobus ad quatuor flores gerentes. Pedicelli breves. Perianthium pallens, bilabiatum; labio fuperiori indivifo, fubrotundo, amplo, obtufiffimo, concavo; inferiori tridentato, acuto. Vexillum amplum, emarginatum, patentiffimum, violaceum, inferne duobus callis notatum albidis & inter hos macula atroviolacea. Alæ oblongæ, obtufæ, erectæ, violaceæ, vexillo paulo breviores. Carina falcata, acuta, longitudine alarum, fuperne atroviolacea. Alii fæpe flores corollam habent totam faturate rubram. Filamenta diadelpha. Germen pedicellatum, falcato-oblongum, compreffum, glabrum. Stylus fub ftigmate barbatus. Legumen polyfpermum. Floret in caldario æftate. Crescit in India orientali.

65. POLYGALA MYRTIFOLIA. *Linn.*

Tota glabra, inodora & amara. Caulis fruticofus, a quatuor ad fex pedes altus, teres, erectus, ex fusco cinereus, ramofus, pollicem craffus. Folia fparfa, breviffimo erectoque petiolo infidentia, oblonga, obtufa vel acutula, integerrima, uncialia, lævia. Pedunculi terminales, uniflori, ex pedunculo communi brevique fasciculatim exorti plusculi, ad oculum arma-

tum pilis rariſſimis adſperſi, erecti, ad baſin ſuffulti bracteis fere ternis ovatis concavis & patentibus. Calycis foliola tria ovata, concava, acuta, coriacea, virentia, parva; reliqua duo maxima, alæformia, expanſiſſima, intus ex rubro purpurea, foris ſtriata & virore ſuffuſa. Carina maxima, falcata, alba cum apice atroviolaceo, albocriſtata. Vexillum dipetalum, longitudine calycis, ex albo purpureoque varium, dorſo in laminam oblongam obtuſamque & antice in roſtrum ſubulatum utrinque excurrens. Filamenta octo, inferne in unum corpus connata & villoſa. Antheræ luteæ. Germen lineare, pedicellatum. Capſula obverſe cordata, compreſſoplana, glabra. Floret fere per totum annum, æſtate ſub dio, cæterum in tepidario. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei.

66. POLYGALA SPINOSA. *Linn.*

Tota glabra eſt. Caulis fruticoſus, tripedalis, digitum craſſus, ab ipſa jam baſi ramoſus, diffuſus, teres, fuſceſcens. Rami in ſpinam fuſceſcentem terminati, cæterum inermes, juniores virides. Folia ſparſa, numeroſa, oblonga, mucronata, integerrima, rigidula, erectiuſcula, ſemuncialia, petiolo albido brevique ſuffulta. Pedunculi axillares, ſolitarii, uniflori, breves. Flores parvi, foliis breviores. Perianthii triphylli & breviſſimi foliola ovata, obtuſa, concava, ſubciliata, virentia, ſuperne purpuraſcentia. Alæ ſubovatæ, obtuſæ, concavæ, erectæ, albidæ cum ſuffuſo colore carneo. Vexillum oblongum, canaliculatum, obtuſum, bipartitum, erectum, alis paulo brevius. Carina tubuloſa, purpurea, longitudine alarum, aucta appendice duplice ſubrotunda & dentata. Floret Januario & Februario. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei.

67. BEGONIA HUMILIS. *Hort. Kew.*

Planta annua, ramoſa, patula, ſemipedalis aut paulo altior. Caulis teres, glaber, pennam columbinam craſſus. Folia alterna, cordata cum altero latere obliterato, ſic fere cordato-ovata, acuta, ſerrulata, utrinque & ad oras hiſpida, coſtata, acidula, triuncialia cum petiolo hiſpido & ſubunciali. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, ciliato-ſerratæ, hiſpidæ. Pedunculi axillares, graciles, erecti, glabri, foliis breviores, multiflori, ſubdichotomi; pedicellis brevioribus. Bracteæ minutæ. Flores in eadem planta maſculi & fœminei miſti. Maribus petala ſunt quatuor, albida, patentiſſima, duo oppoſita ſubrotunda, ampla; alia duo ſublinearia, ſæpe deficiente uno vel utroque. Filamenta ab octo ad duodecim, baſi connata, breviſſima. Antheræ oblongæ, erectæ, flavæ. Fæminis petala quinque, æqualia, oblonga, obtuſa, patentiſſima, cum virore pallentia. Germen inferum, triquetrum, glabrum. Stylus baſi unicus, craſſus, erectus, glaber, dein trifidus; laciniis craſſis, luteis, obſitis denſe papillis teretibus. Capſula tri-alata cum una ala multo majore, trilocularis, trivalvis, polyſperma. Floret in caldario Auguſto & Septembri. Creſcit in India occidentali.

68. TILIA EUROPAEA CUCULLATA. Tab. 11. Fig. 3.

In cimeterio clauſtri Sedlitzenſis prope Kuttenberg in Bohemia Tiliæ paucæ creſcunt, ob folia ſua quædam cucullata jam fere per duo ſæcula celebres. In hortum noſtrum botanicum non ſemel plures taleæ transmiſſæ ſunt, quæ vegetarunt, nec folia cucullata produxere. Ut ne memoria hujus luſus naturæ pereat, ramulum ex hac arbore ad vivum in loco natali ante decem annos pictum in tabula hic edo, ubi etiam folium peltatum planum videre eſt.

69. FOETIDIA MAURITIANA. *Lamark.* Tab. 11. Fig. 4.

Quamvis ingens numerus fructuum hujus ſtirpis ad nos pervenerit, nullum tamen germinavit, nec ipſa advecta fuit; hinc brevem hic deſcriptionem ejuſdem ex Encyclopedia methodica contractam, dabo. Arbor vaſta; foliis frondoſis, ovalibus, integerrimis, ſubcoriaceis, ſeſſilibus, glabris, tres quatuorve uncias longis. Pedunculi uniflori, terminales, ſescunciales. Perianthii ſuperi & monophylli laciniæ quatuor, lanceolatæ, patentiſſimæ &

persistentes. Corolla nulla. Stamina numerosa, calyci inserta. Germen inferum, pro vertice discum habens quadrangularem amplum & convexulum. Stylus unicus cum stigmate quadrifido. Locanda igitur in monogynia icosandriæ. Pericarpium ex basi angusta in discum amplum tetragonum expanditur, modo planum, modo magis minusve convexum, in cujus centro sæpe depresso pars styli superstitis est, laciniis calycinis totis reflexis in ambitu ornatum, non dehiscens, quadriloculare, ligneum, inque medio osseum magisque fuscum. Semina in quolibet loculamento plerumque duo, fusca, glabra. Crescit in insulis Mauritii & Borboniæ, dicta ab incolis Bois puant sive Arbor fœtida. Sistuntur in tabula fructus a tergo visus cum suo pedunculo; quatuor fructus, disco diversi, antice conspecti; fructus sectio perpendicularis & diagonalis; ejusdem sectio transversa.

70. LANTANA INVOLUCRATA. *Linn.*

Tota odorata, inermis & villosa. Caulis fruticosus, ramosus, erectus, fuscus, teres, junior una cum ramis obsolete quadrangularis, quadripedalis. Folia opposita, ex ovato magis minusve subrotunda, serrata, rugosa, petiolata, a dimidia ad sescunciam longa. Pedunculi axillares, solitarii, sæpius oppositi, ovati, unciales, capitulo semigloboso terminati. Bracteæ extimæ majores, involucrum mentientes; reliquæ singulis floribus subjectæ minores in florente capitulo haud conspiciuntur, optime in fructescente paulo magis elongato; omnes ovatæ, acuminatæ, rugosulæ, virides, integerrimæ. Floris character congenerum. Corollæ tubo & fauce albent, limbo ex roseo purpureæ. Drupæ subrotundæ, parvæ, purpureæ, cum semine albo. Floret in caldario a Martio ad Junium. Crescit in America meridionali.

71. CARYOTA URENS. *Linn.* Tab. 12. Fig. 1.

Unicam, quæ colitur in caldario horti Schönbrunnensis, ex insula Mauritii adlatam, ibidem quoque tantum cultam, describo, lætissime vegetantem, sed cujus fructificationem frustra forte exspectamus. Radices fasciculatæ, numerosissimæ, teretes, digitum crassæ, longæ. Caudex sexpedalis, teres, erectus, totus vaginis foliorum longis emarcidisque vestitus, inermis, simplex, semipedalis diametri. Frondes inermes, glabræ, bipinnatæ, patentissimæ. Costa teres, antice leviter bicanaliculatus, basi diametri uncialis, novempedalis, ex vagina longa amplexicauli orta. Pinnæ utrinque plus minus octodecim, alternæ vel oppositæ vel etiam quædam aggregatæ, valde inordinatæ, patentissimæ vel paucæ quoque erectiusculæ, inferiores tripedales, & plus minus duodecimjugæ, summæ successive breviores & paucijugæ, cum terminali semipedali. Costa his valde compressa, superne anguste canaliculata, firma. Pinnulæ sessiles, oppositæ & alternæ, nitidæ, plicatæ, cuneiformes, utroque latere integerrimæ, apice latissimo obliquo truncatæ & inæqualiter ac argute dentatæ cum dente extimo longissimo ensiformi & cuspidato, semipedales & ultra, latitudine inæquales, duabus summis nonnunquam in unam coalitis. In tabula frondis pars inferior exponitur cum adhærente parte costæ principis, cumque pinnula ultima connata.

72. CARYOTA HORRIDA.

Ex Caracas in hortum Schönbrunnensem elegantissima palma transvecta fuit, caudicis frondiumque spinis subulatis dense horrida, foliis Caryotæ urenti truncatis simili quidem, sed tamen etiam diversis; quæ ante sex annos periit prius, quam descripseram. Ut ne memoria ejus plane prætereat, hic brevissimam illius facio mentionem, ad Caryotam ex habitu a me redactæ, licet de fructificatione nihil sciam.

73. MESEMBRYANTHEMUM TESTICULATUM. *Hort. kew.* Tab. 12. Fig. 2.

Ante octo annos ex semine enatæ fuerunt cum in horto Schönbrunnensi, tum in botanico, ducentæ hujus Mesembryanthemi individuæ plantulæ, quæ omnes successive perierunt ex

radicis putrefactione, solis quinque exceptis, quæ adhuc perstant, lentissimi incrementi; nec ulla florem produxit. Feliciter egregius hortulanus Georgius Scholl, ex Promontorio bonæ Spei tandem redux, figuram plantæ florentis, a se in loco natali concinnatam, mecum benevole communicavit, quam in hac tabula propono duplicem, alteram cum flore primum prodeunte, alteram cum eodem expanso; quibus tertiam addidi non florentem ex caldariis nostris, jam octennem. Radix teres, calamum, crassa, perpendicularis, unciam longa, fusca, fibris stipata, a foliis delapsis caulescens. Folia quatuor, decussata, subovata, rotundata, integerrima, carnosa, crassissima, glauca, subtus convexa, supra plana, firma, basi amplexicaulia, uncialia. Quando duo folia interiora ad incrementum summum pervenerunt, exteriora duo decidunt, duoque alia nova ex centro prodeunt. Corolla biuncialis diametri, rubra.

74. PANDANUS ODORATISSIMUS. *Linn.* Tab. 13. & Tab. 14. Fig. 1.

Singularissimæ & spectabilissimæ hujus arboris descriptio legi apud Rheede, Rumphium, Roxburne aliosque potest; quibus symbolum meam hic addo, non supervacuam. Egregius Franciscus Boos ex insula Mauritii duas arbores juniores secum attulit, quæ lætissime in caldario vegetant. Alteram majorem, qualis nunc est, describo. Truncum habet erectum, teretem, sex pedes altum, octo unciarum diametri, ex fusco cinereum, glabrum, cicatricibus circularibus flexuosis a foliis delapsis notatum, radicantem; cujus truncatam partem tabula tertia & decima sistit cum radicibus exeuntibus similiter truncatis, quarum in terram recta porrectarum extremitas, dum hanc intravit, crassas ipsa in terram fibras demittit, quod figura separata indicat. Substantia trunci fibrosa quidem tota est, sed tamen simul carnosula, succoque gaudet fauces inflammante. Superne ramos emittit, jam brachium crassos, ex quibus adultioribus etiam radices descendent, ab his dein sustentatos. Folia sessilia, ordine spirali & radiato plurima inferne mutuo incumbentia, septempedalia, basi quinque uncias lata, ensiformia, rigida, mucronata, subtilissime striata, ex glauco virentia, glabra, ad oras limbo cartilagineo purpureo cincta spinulisque erectis validis purpureisque armata, quales etiam carinam dorsi dense occupant. Eodem quoque tempore cum ipsis arboribus, ingenti numero fructus singulares adlati fuerunt, quorum centeni, mox terræ commissi, germinarunt omnes, ut caldaria hisce arbusculis jam duodecennibus abundent; serius ob nucleos rancidos nihil produxerunt. Diversitas horum fructuum propter compressionem a vicinis summa est. Hi omnes constant cortice nitido, flavescente vel fuscescente, adhærente substantiæ fibrosæ & tenaci, quæ in recentibus forte succulenta fuit, & summitatem totam implet. Hæc firmiter adnectitur nuci osseæ durissimæ & coloris ferruginei, quæ pro varia sua figura & magnitudine plures vel pauciores, a duobus ad quatuordecim, nucleos oblongos distinctis in loculis includunt. Figuris hanc diversitatem expressi in tabulæ decimæ quartæ figura prima. *a* sistit fructum ex magis solitis cum eodem perpendiculariter dissecto. *b* alium, eundemque transverse sectum. *cccc* alios quatuor, cum prioribus magis convenientes. *d* majorem unum, inferne latum, cum sectione transversa. *e* alium cum basi angustata, eundemdemque transverse dissectum. *f* alium valde informem, itidem sectum. *g* difformem alium, utrinque conspectum cum simili sectione. *h* majorem, qui externe videtur ex duobus coalitis, cum sectione horizontali. *i* majorem, ex tribus veluti connatum cum sectione transversa. Ex hoc & præcedente videre est, quantumvis ex pluribus connatos esse, credibile sit, unicam duntaxat semper nucem illos continere *l* latissimum polyspermum, atque ejusdem sectionem transversam, tum perpendicularem partis latioris, aliamque partis mediæ angustioris. Crescit per totam Indiam orientalem.

75. PANDANUS HUMILIS. *Jacq.* Tab. 14. Fig. 2.

Una cum prioribus numerosissima hujus semina ex insula Mauritii hortulanus Boos in Europam portavit; ipsam vero arbusculam nullam. Illa primo anno sata germinarunt pleraque, ut etiam his abundent caldaria. Uti in patria, sic etiam apud nos duplo sunt humiliores. Totus habitus cæterum idem est. Folia autem in hac læte, nec ex glauco, virent, duplo etiam prioribus angustiora, uti ex comparata in tabula figura utriusque, quæ ex media folii parte arbuscu-

larum ejusdem duodecennium eſt, elucefcit. Fructus quam maxime differunt, minores, depreſſi, ſuperne cortice tecti magis fusco, pauciradiato, & facile a ſubjecta ſubſtantia ſeparabili. Sunt etiam polyſpermi. Diverſi quoque inter ſeſe ſunt, unde aliquot varietates hic propono. *a* magis ſolitum, a vertice viſum. *b* eundem a latere. *cc* magis conicos. *d* alium ex vertice conſpectum, eundemque ex baſi, in qua cicatrices ſubrotundæ obſervantur, totidem ſeminibus contentis reſpondentes, per quas in fructu immaturo forte via patuit nutrimento ad ſemina, in germine auræ fæcundanti. Hæc veſtigia in omnibus utriusque ſpeciei ſeminibus adparent, ſed ſæpe maxime obliterata. *e* alium conicum. *fff* tres difformes. *g* alium ex vertice, ejusdemque ſectionem transverſam. *h* alium a latere. *i* alium a vertice, ejusque ſectionem transverſam & perpendicularem. *l* alium a latere cum parte baſeos cumque ſectione perpendiculari. *m* alium a latere cum ſectione perpendiculari per partem anguſtiorem, eundemque inverſum. *n* alium in vertice cum ſectione perpendiculari per partem latiorem. Crescit in inſula Mauritii.

76. IXIA VILLOSA. *Linn.* Tab. 14. Fig. 3.

Singularis varietas hujus plantæ ex Promontorio bonæ Spei.

77. BAUHINIA UNGULA. *Jacq.* Tab. 15. Fig. 1.

Arbuscula humanæ altitudinis, ramoſa; caule tereti, inermi, cinereo, glabro pollicemque craſſo; ramis junioribus, qui jam lignoſi ſunt, nigricantibus & aculeatis; ramulis junioribus folioſis vireſcentibus aculeatis & villoſis. Aculei gemelli vel ſolitarii, ſubaxillares, recurvuli, breves, validi quidem, ſed facile ſecedentes. Folia ſunt alterna, breviter petiolata, late ovata, integerrima, venoſa, ſupra glabra, ſubtus tomentoſa & mollia, ad unam tertiam biloba, majora bruncialia; lobi ſemiovatis, obtuſis, rectis. Pedunculi uniflori, rarius biflori, ſolitarii vel rarius gemelli, axillares vel laterales, villoſi, ſemunciales, erectiuſculi. Flores in planta vivente videre haud licuit, nec expanſos in ſicca. Hinc ramulus quidem ad vivam depictus ſiſtitur, ſed cum additis florum gemmis, ex ſpecimine ſicco deſumptis; nam æſtate in caldariis læte vegetat, ſed ad hiemis adventum ramulos tenellos pleroſque, folia autem omnia dejicit, quæ Martio iterum nova producuntur. In florum gemmis, explicationi proximis, perianthium eſt monophyllum, tubuloſum, ſtriatum, ſubpubeſcens, apice tridentatum, per totam longitudinem fiſſum, ſescunciam longum. Petala quinque, elliptica, unguiculata, obtuſa, calyce longiora, alba. Stamina decem, alterna longiora, corollam æquantia. Germen lineare, pedicellatum, villoſum. Stylus longitudine ſtaminum. Stigma bifidum. Legumen lineare, planum, mucronatum, denſe & breviſſime tomentoſum, fuscum, ſemipedale, ſemunciam latum, rectum, interne coloris cinnamomei, uniloculare, bivalve. Semina circiter viginti, oblonga, utrinque rotundata, plana, nitida, fusca. Incolis a foliorum figura vocatur Pata de vaca ſive Ungula vaccæ; quod nomen triviale adſumpſi, ſatis diſtinguendum a Bauhinia ungulata Linnæi, quam ille ſic dixiſſe videtur ab unguibus petalarum, unde unguiculati nomen melius quadraret. Videor mihi nunc in Stirpibus americanis commiſiſſe errorem, & hanc Bauhiniam confudiſſe cum Bauhinia aculeata Linnæi, dum deſcriptionem in illo opere dedi figuramque floris Bauhiniæ Ungulæ, fructus vero foliique Bauhiniæ aculeatæ. Hoc figura Bauhiniæ aculeatæ Plumeriana evincere videtur. Crescit ad Caracas. Tabula ſiſtit ramum, legumen & ſemen.

78. ARBOR IGNOTA. Tab. 15. Fig. 2.

In inſula Mauritii hæc arbor crescit, ubi ab incolis vocatur Bois de fer à tête de mort ſive Arbor ferrea cum fructibus calvariæ humanæ ſimilibus. Ex numeroſis allatis fructibus pauciſſimos inveni, qui hoc nomen merebantur, idque etiam vix bene, qualem in tabula litteræ *i l* exprimunt. Cæterum fructus ſingularis omnino ſtructuræ ſunt Videntur recentes fuiſſe drupæ corticoſæ, unicam nucem unilocularem includentes. Integri hi ſiſtuntur pedicellati in *aa*, fusci & glaberrimi, quorum cortex fragilis tollitur facile. Nux contenta *b* vertici corticis contigua eſt,

difiat autem ab hujus fundo, quod fpatium impletur fubftantia fusca pulverulenta, quam fuspicor fuiffe carnem vel pulpam. Ejus vertex *d* totus tegitur veluti pileo ex fusco flavefcente, nitidiffimo, paucis radiis obiter ftellato, & firmiffime adhærenti; pars autem inferior anguftior definit in discum planum, varie rugofum & inæquabilem, cujusmodi ex diverfis fructibus tres in *c i* & *l* confpiciuntur. Littera *e* proponit nucem per anguftiorem partem mediam perpendiculariter fectam, & *f* eandem fic divifam per latiorem partem; unde loculamenti navicularis figura intelligitur. *g* eft varietas *f*. *h* ex alius fructus nuce transverfe fecta proponit loculamentum infrequentius orbiculare. In nullo fructu vel veftigium feminis antea inclufi invenire potui, ut credam, haud adfuiffe, nescius, quo femen pacto ligneam denfamque nucis compagem permeare, atque fic evanefcere potuerit, ut ne vel rudimenta minima reliquerit. Ex plurimis terræ mandatis feminibus propterea nullum vegetavit. Nec adlata ex loco natali ipfa arbor fuit. Nihil ergo præter fructum mihi innotuit.

79. PHYLLANTHUS LONGIFOLIA. *Jacq.* Tab. 15. Fig. 3.

In Horti Schönbrunnenfis tabula 194 neglexi addere figuram capfulæ a carne craffa nudatæ, quæ hic nunc fiftitur fusca, depreffa, cum margine octolobo; cujus fectio transverfa inferius confpicitur. Phyllanthum hic & in Collectaneis meis cum Commelino, Catesbæo, Linnæo, & Swartzio, exemplo abreptus, feci generis fæminini; Linnæus filius in Supplemento masculini, & recte. Nam Hæmanthus, Lifianthus, Cheiranthus, Agapanthus, Rhinanthus, Dianthus, & pleraque alia fic compofita & terminata nomina funt apud omnes autores masculina, quia Acanthus apud Virgilium talis eft. Et tamen, ita vacillarunt Botanici, contra priniam normam Chionanthum, Ailanthum, Siphonanthum & Spilanthum fæminis attribuerunt. Ultimam plantam ego quidem nominis fabricator fæmineam vocavi, fed dicta fuit Spilanthes, quæ Linnæo non placuiffe videtur. Nomina compofita græca in carpus definentia funt certe vi vocis masculina, ut Pterocarpus, Ceratocarpus, Sclerocarpus, & alia; ut ad fæminas male relati fint Trichocarpus, Conocarpus, Corynocarpus, Artocarpus & Heliocarpus. Theobroma, Abroma, Alisma, Phyteuma, Melaftoma, Antidesma, & Agroftemma, omnia vocabula græca, neutrius funt generis; quæ tamen fæminea pronuntiarunt. Tragopogon, Geropogon, Erigeron, Bubon, generis masculini, Botanicis neutrius audiunt. Diospyros masculinus evafit fæmineus. Ex adverfo fæmineam Cactum fecerunt (Plukenetio excepto) masculinam. Rhus, fæminea antiquis, etiam masculinus, fed tunc forte de Rhois fructu fermo eft, a recentioribus neutris adnumeratur.

80. SCHOTIA LATIFOLIA. *Jacq.* Tab. 15. Fig. 4.

Ex feminibus ante plures annos enatæ arbusculæ jam quinquepedalem altitudinem adeptæ funt, nec huc usque florem produxerunt. Illa qui mifit, egregius Georgius Scholl autopta afferuit, ftirpem ad Schotias pertinere. Tota glabra eft. Caulis fruticofus, pollicem craffus, cinereo-fuscus, teres, erectus, ramofus. Folia alterna, petiolata, abrupte pinnata, tri-vel quadrijuga; cofta alate marginata; foliolis obverfe ovatis, integerrimis, obtufiffimis cum mucrone parvo pungente, coriaceis, firmis, breviffime petiolatis, fescuncialibus, extimis paulo majoribus. Stipulæ lanceolatæ, minutæ, caducæ. Semina uti in Schotia fpeciofa. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Tabula exhibet ramulum & femina.

81. MAPPIAM vocavi genus novum in Horti Schönbrunnenfis volumine primo pagina 22; nefcius, apud celeberrimum Schreberum in Generibus fuis aliam fub hoc nomine jam plantam extare. Hinc nomen Schreberianum utpote antiquius maneat fuæ plantæ, meæque aliud, qualecunque Botanicis libuerit, imponatur. Interea pace amiciffimi viri dicere mihi liceat, plantam hanc fuam jam ab Aubleto, primo inventore, nomen genericum accepiffe, nimirum Soramiam, quod celeberrimus Juffieu etiam retinuit in Generibus fuis. Rejectum vero hoc fuiffe,

opinor, a Schrebero, uti non minus fuiffet a pluribus fyftematicis aliis, quia videbatur barbarum, hoc eft, nec latinum, nec græcum. Ego quidem in tanta novorum generum hodierna abundantia cum Juffieuo aliisque quibusdam Botanicis nunc ita fentio, nomina, a barbaris gentibus data, apte affumi poffe, modo latinam terminationem aut habeant, aut accipiant, & facilis fit eorum pronuntiatio Europæis, barbariemque tunc fuam omnem veluti exuere. Et fi quidem Botanicam oporteat effe græco-latinam, an minus aures lædent Romanas Houttuynia, Holmskioldia, Schkuhria, Shawia, Mefferfchmidia, Michauxia, & tot alia, quam fic dicta barbara Soramia, Catinga, Nelumbium & reliqua fimilia? An non vel ipfe Linnæus adfumpfit Coffeam & Theam, utramque barbaram?

82. In Horti Schönbrunnenfis volumine tertio pagina 28 fimiliter ex infcitia peccavi, dum ibidem novum COLUMELLEAE genus conftitui; quod longe diverfiffimæ plantæ jam antea datum fuerat a celeberrimo Loureiro in Flora fua Cochinchinenfi. At vero, nifi fallar, tam generis quam ipfius habitus defcriptio apud laudatum virum videtur indicare, ftirpem Cochinchinenfem illam omnino ad Ciffos pertinere, quibus affinis ab ipfo autore prædicatur; ut hinc igitur nulla orta confufio fuiffet. In Commentatione autem botanico-literaria celeb. Georgii Rudolphi Böhmeri, ex cujus lectione priores duos errores meos edoctus eram, lego etiam pagina 221, in Prodromo Floræ Peruvianæ, opere mihi plane ignoto, jam Columelliæ genus exiftere, cui meum ergo cedere oportebit.

83. In Floræ Auftriacæ volumine quinto plantam defcripfi pictamque exhibui fub titulo Phlei fchœnoidis, quam rectiffime Murræus in Syftematis Linnæani editione quarta & decima conjunxit cum Schœno aculeato Linnæi, ibidem nunc dicto Anthoxantho aculeato; nam certe eadem planta eft. (Verius hodie fub novo generico nomine Crypfis apud botanicos proponitur.) Sed reliquit fuo apud Linnæum loco Phleum Linnæi fchœnoides, utpote diverfam a priore plantam, & optime reliquit. Aliquot poft annos, dum genuinum Linnæi Phleum fchœnoides cognoveram, in Collectaneis atque Iconibus rarioribus hoc Phleum fchœnoides fub fuo vero titulo defcripfi & figura illuftravi; fuperfluum ducens in Iconum volumine primo, addere, prius meum Floræ Phleum effe Schœnum aculeatum Linnæi; quoniam Murræus jam hunc meum errorem correxerat. Hinc crediderunt Botanici, me bis eandem plantam edidiffe, & conjunxerunt in operibus fuis perperam utramque ceu eandem fpeciem, quæ tantopere ab invicem discrepant.

84. BROWNEA. Prima hujus generis fpecies detecta fuit à Petro Lœflingio anno 1755. circa Cumanam Americes, defcripta in itineribus Lœflingii editionis germanicæ num. 182. pag. 358. Altera fpecies detecta a me ad finum maritimum Zaucæ in Venezuela anno 1757. ad diftantiam octoginta miliarium a primo loco. Anno 1763. celeberrimus Aublet tertiam invenit fpeciem in filvis Cayennenfibus, quam exhibuit in Hiftoria fua plantarum Guianenfium vol. 1. pag. 365. tab. 141. fub titulo Paloue Guianenfis, dictam dein Paloveam a Juffieuo, & Ginanniam a Schrebero in generibus. Quartam fpeciem defcripfit in Transactionibus philofophicis Londinenfibus anno 1773. pag. 173. tab. 8. & 9. illuftris Bergius, ficcam fibi transmiffam ex Portobello a clar. Pihl. Circa Caracas tandem anno 1788. hortulani aulici cæfarei Franciscus Bredemayer & Jofephus Schücht alias quinque Browneæ fpecies obfervarunt, vivasque adtulerunt duas & triginta individuas arbusculas in hortum Cæfareum. Hæ in caldariis fempervirent quidem, fed ramos vix augent, nec videntur flores unquam producturæ; quin etiam ex fingulis fpeciebus plures jam fucceffive perierunt; nec fucceffit, præterquam in fola Brownea leucantha, per taleas multiplicatio. Propterea ut ne ftirpium elegantium & prorfum fingularium tandem omnis vanescat memoria, fpecies has quinque novas hic defcribam, quoad potero; iconibusque illuftrabo defumptis ex fpeciminibus ficcis, colore foliorum ramorumque ad vivum expreffo, florum vero ad Browneam meam coccineam, quacum convenire autoptæ afferuerunt. Folio-

rum gemma in his omnibus longa & teres eſt, a ſtipulis mutuo incumbentibus formata, quæ decidunt, quando folia plura ſimul evolvuntur, quæ ſingulari ſpectaculo molliſſima, flaccida, aliter ſæpe colorata, coctisque & aqua penetratis ſimillima, pendent, usque dum debitum augmentum adepta ſint, quando firmitatem laurinorum foliorum fere acquirunt. Hujus itaque generis plantæ a Cayenna ad Portobello habitant in tractu triginta graduum ſive ſexcentorum milliarium quartum intra & undecimum latitudinis ſeptentrionalis gradum, novem huc usque obſervatæ ſpecies, forte plures deinceps obſervandæ. Lœflingius de foliis ſuæ plantæ nullam mentionem fecit. In mea ſunt ſimpliciter acuminata; in reliquis vere cuspidata. Ad Aubleti & Bergii ſtirpes quædam adnotare neceſſum duxi. Utrobique calyx interior & corolla delineantur patentiſſima, quamvis a Bergio in charactere generico hæc dicantur erecta, ab Aubleto autem directio earundem partium qualiscunque ſilentio prætermittatur. Ad ſicca ſpecimina factæ hæ figuræ explicationem florum illam debent forte delineatori, qui gratiam iis addere voluit; nam aliæ ſpecies flores habent tubuloſe erectos. Non bene, opinor, Bergius ad ſuam ſtirpem traxit ſynonymum Lœflingii; nam hic in ſuæ floribus ſtamina aſſerit eſſe dumtaxat longitudine corollæ, quæ in Bergiana ſunt eadem duplo longiora. Etiam ſtaminum numerus diverſus eſt. Hinc nomen triviale hispanicum Roſa de monte ſive Roſa montana, quo incolas cumanenſem ſalutare plantam Lœflingius dicit, etiam non recte ad ſuam transtulit Bergius.

85. BROWNEA RACEMOSA. *Jacq.* Tab. 16.

Frutex quadripedalis, totus glaber, ramoſus; trunco erecto, tereti, pollicem craſſo & cinereo. Folia pinnata, ab unijugis ad quadrijuga, petiolata; foliolis ellipticis, cuspidatis, integerrimis, coriaceis, breviter petiolatis, longioribus quadriuncialibus & vix unciam latis. Stipulæ ad gemmas foliorum rubigineæ. Flores racemoſe fasciculati, pedicellis propriis vix ſemuncialibus inſtructi, bractea ſuffulti ſinguli mox decidua, pedunculo communi orto ex baſi folii. Perianthium exterius turbinatum, ferrugineum, pulverulento-tomentoſum, monophyllum, ſupra medium longitudinaliter antice fiſſum cum apice dorſali bidentato. Perianthium interius monophyllum, rubrum; ex tubo infundibuliformi compreſſo & cum filamentis connato; & ex laciniis quatuor, oblongis, obtuſis, erectis, concavis, perianthio exteriori duplo longioribus. Petala quinque, obverſe ovata, rotundata, rubra, undulata, erecta, limbo tubi calycis interioris inſerta, calyce longiora, ex ungue longo gracilique orta. Filamenta undecim, ſubulata, erecta, longitudine corollæ, tubo calycis interioris accreta, dein adhuc ultra coalita, apice libera, longitudine inæqualia. Antheræ lineares. Germen ſuperum, oblongum, villoſum, inſidens pedicello inferne & lateraliter adnato calycis tubo. Stylus filiformis, petalis paulo longior. Stigma obtuſum. Tabula ſiſtit ramulum florentem & ſeorſim petalum; tum in figura prima gemmas foliorum in prima ſua evolutione; in altera folia magis expanſa; in tertia eadem magis adulta, ſed tamen adhucdum flaccida.

86. BROWNEA LATIFOLIA. *Jacq.* Tab. 17.

Tota glabra eſt. Caulis fruticoſus, ramoſus, erectus, teres, fuscus, quinquepedalis, uncialis diametri. Folia unijuga ad trijuga, petiolata; foliolis breviter petiolatis, oppoſitis, obverſe ovatis, rarius ovatis, cuspidatis, integerrimis, coriaceis, majoribus ſemipedalibus cum latitudine triunciali. Flores breviter pedicellati in fasciculis denſis ſubſeſſilibus ad baſin foliorum, bracteis ſuffulti caducis. Perianthium exterius monophyllum, infundibuliforme, inferne compreſſulum, fuſceſcens, pulverulento-tomentoſum, erectum, ſemunciale; ore bifido in lacinias ſemiovatas, acutas, concavas erectasque. Interius monophyllum, rubrum, erectum, exteriore longius; tubo compreſſo; limbi quadrifidi laciniis oblongis, obtuſis, concavis, infima latiore & ſæpe emarginata. Petala quinque, obverſe ovata, obtuſa, unguiculata, erecta, undulata, rubra, limbo tubi calycis interioris inſerta, & hujus longitudine. Stamina undecim & piſtillum omnino uti in præcedente. In tabula ſiſtuntur ramus florens; ramulus cum foliis adhucdum flaccidis; calyx exterior; idem interior; & petalum.

87. BROWNEA CAPITELLA. *Jacq.* Tab. 18. & 19.

Tota glabra eſt. Truncus teres, erectus, ramoſus, cinereus, quinquepedalis, pollicem craſſus. Folia alterna, petiolata, pinnata ſine impari. Foliola utrinque a duobus ad ſeptem, oppoſita, ſuperiora nonnunquam ſubalterna, breviter petiolata, oblonga, longe cuſpidata, integerrima, quatuor uncias longa, unam lata, in coſta ſemipedali. In culta ſtirpe foliola latiora ſunt quam in ſilveſtri tab. 18. Capitulum ad baſin folii, quod in ſpecimine ſicco deficit, ſed cujus adeſt deperditi cicatrix, denſe flores plurimos comprehendit breviſſime pedicellatos, pedicellatum ipſum, bracteis oppletum fuſcis. Unicum exemplar vidi, & poſſideo, in quo flores jam abibant in fructum. Supererant quidem calycum corollarumque reliquiæ, at ita deſtructæ atque etiam a vermibus eroſæ, ut certi nihil de his & de ſtaminibus detegere potuerim. Hinc etiam in delineatione omiſi, & ſola piſtilla fructeſcentia cum bracteis exhibenda curavi. Roſa macho ſive Roſa maſcula vocatur ab incolis. Flores ſunt coccinei. Germen villoſum. Tabula 18. repræſentat ramum cum capitello in fructum abeunte. Tabula 19. folia diverſa & in vario evolutionis ſtatu.

88. BROWNEA LEUCANTHA. *Jacq.* Tab. 20. & 21.

Omnia adlata ſpecimina ſicca erant ſine ulla infloreſcentia; addita ipſis ſolummodo adnotatio fuit, flores eſſe albos, idemque additum etiam arbuſculis adlatis vivis. Adeo autem differt a reliquis ſpeciebus evolutione foliorum ipſiſque foliis, ut facile dignoſcatur. Hæc tam læte creſcit, ut ſpes affulgeat, aliquando nos flores eſſe viſuros. Arbuſcula eſt jam octopedalis, ramoſa, tota glabra; trunco tereti, erecto & cinereo. Folia ſunt abrupte pinnata & alterna; foliolis oppoſitis vel ſubalternis, breviter petiolatis, ex oblongo lanceolatis, cuſpidatis, integerrimis, firmis, utrinque plus minus ſeptem, extimis majoribus novem uncias longis & tres latis, infimis cordato-ovatis & parvis. In utraque tabula figuræ ſunt ad vivam ſtirpem factæ, in tabula 21. partis ramuli cum folio adulto; in tabula 20. ſiſtitur foliorum ſucceſſiva evolutio, quæ in hac ſpecie ultra modum cito progreditur. Sic prima figura gemmam foliorum cum ramulorum primordiis novorum exhibet ex meris ſtipulis mutuo amplexantibus compoſitam. Poſt biduum in altera figura ex gemma magis tumente & ſuperne hiante jam folia prodeunt. Poſt aliud biduum in tertia figura jam tota folia in conſpectum veniunt, ſed utroque latere revoluta in formam linearem. Poſt alios iterum duos dies in figura quarta folia videntur plura nunc plane evoluta, ſed flaccidiſſima, quæ paulatim increſcunt & poſt pluſculos dies ad debitam firmitatem perveniunt.

89. BROWNEA GRANDICEPS. *Jacq.* Tab. 22. & 23.

Hujus arbuſculæ elegantis deſcriptionem dedi in Collectaneorum volumine 3. pag. 287. tab. 22. & vol. 4. pag. 223. tab. 9. Non repetam hæc, ſed pluribus completioribusque figuris hic illuſtrabo. Antea autem monere debeo, iſtic perperam me calycem interiorem dixiſſe pentaphyllum, qui in omnibus floribus dumtaxat tetraphyllus eſt. Tabula ſecunda & vigeſima gemmam foliorum plurium adhucdum convolutam clauſamque repræſentat, eandem evolvere ſe incipientem, tandemque fere jam plane evolutam; in quibus color ſingularis ſpectatur. In tabula vigeſima tertia habetur folium adultum dimidiatum ex arbore ſilveſtri, coloratum ad caldarii vivum. Tum ſpica capitata florens, cujuſmodi optime conſervata nec compreſſa ab hortulanis adlata fuit; ubi patet, flores infimos ultimo expandi. Ad hujus latus ſtat rhachis media, cui flores breviſſime pedicellati inſident. Quilibet flos tegitur propria bractea ferruginea & tomentoſula, extimis ſubrotundis & amplis; ſubſequis oblongis; interioribus cuneiformibus & anguſtis; omnibus modo integerrimis, modo emarginatis; obtuſis vel acutulis. Iſtiuſmodi bracteæ ſeptem diverſæ exhibentur. Tandem flos integer; genitalia cum tubo calycis interioris; piſtillum cum eodem tubo, a quo, dum flos marceſcit, & laciniæ ſuæ, & petala, & ſtamina ſponte

decidunt; quatuor Laciniæ calycis interioris ex flore aliquo magis irregulares, cujusmodi esse sæpe assolent; Flos adhucdum clausus ex bracteis infimis; Legumen, & Semina.

90. PHOENIX RECLINATA. *Jacq.* Tab. 24.

Toto habitu sic convenit cum Phœnice dactylifera, ut sola adferre discrimina sufficiat. Ex interiore regione ad Promontorium bonæ Spei unus racemus, fructibus maturis onustus, ad hortulanum Scholl adlatus fuit, qui plurima ilico semina terræ commisit, ex quibus enatas plures plantas secum adduxit, quæ nunc in caldariis Schönbrunnensibus lætissime vegetant, jam eminus a Phœnice dactylifera distinguendæ. Scilicet multo sunt humiliores & minores, & foliorum extremitates, quæ in illa semper stricte eriguntur, in hac nostra debiles perpetuo omnes reflectuntur & reclinantur. Hujusmodi extremitas folii in tabula proponitur. Racemus etiam exhibetur totus, quantus huc adlatus fuit, post plerosque jam avulsos in Promontorio fructus. Perianthium persistens tripartitum est, in quibusdam fere triphyllum. Petala etiam persistentia tria, subrotunda, coriacea, calyce duplo majora. De sexu nihil innotuit. Baccæ ovales, obtusæ, tres unciæ partes longæ. Semina obtusa, fusca.

91. ZAMIA CYCADIFOLIA. *Jacq.* Tab. 25. & 26.

Egregius hortulanus Georgius Scholl, ex Promontorio bonæ Spei redux, tres attulit Zamiæ novas & elegantissimas species, quæ jam lætissime vigent, fronde ampla spectabiles. Attulit etiam ex duabus fructum fæmineum integrum, optime conservatum, ac si foret recenter avulsus, & ex tertia conum masculum. Sunt omnes dioicæ, & si quidem ex pluribus cujusque individuis flores aliquando sperare liceat, possidebimus forte utrumque sexum. Interea describam hic omnes, depictos ad vivum, cum amentorum figuris ad conos adlatos factis; nam si quando apud nos floreant, perfectiores haud dabunt, si excipias deficientem ubique alterum sexum. Hæc Zamia Cycadi revolutæ adeo similis est, ut ad primum intuitum pro juniore ejusdem specimine haberi posset. Caudex est ex oblongo ovatus, pedem fere altus, diametri decem unciarum, fibris crassis radicatus, totus basibus frondium præteritarum delapsarumque tectus, quæ tandem vestigia reticulata sola relinquunt. Cuilibet frondi squama sive stipula ad dorsum accumbit lata & acuta, tandem marcescendo deperitura. Circum caudicis basin ex terra soboles nova prodit, unde facilis & prompta erit ejus multiplicatio. Frondes sunt pinnatæ, rigidulæ, erecto-patulæ, totæ obductæ pube cinerea & per trituram abscedente. Costa est inermis, semiteres, supra plana, bipedalis, calamo crassior, recta ad apicem usque. Pinnæ sunt partim oppositæ, partim alternæ, utrinque plus minus octoginta, lineares, integerrimæ, subtus striatæ, sessiles, mucrone pungente terminatæ, infimæ & summæ breviores, mediæ circiter triunciales. Amentum fæmineum fructescens est elongate conicum, teres, pedale, quadriuncialis diametri, rectum, fuscum; squamis in utroque latere drupam coccineam gerentibus. Nux albida. Pinnæ in oris ad tactum, vix ad visum, levissime revolutæ sunt; exsiccando autem revolvuntur maxime. Crescit ad Promontorium bonæ Spei; apud nos lætissime in caldario. Tabula 25. exhibet amentum fæmineum cum fructibus maturis, sqamam cum drupis suis utrinque conspectam, drupam quoque visam utrinque, nucem, amenti rhachin, & caudicis superiorem dimidiatam partem. Tabula 26. frondem totam antice spectatam & pinnam postice.

92. ZAMIA HORRIDA. *Jacq.* Tab. 27. & 28.

Hujus elegantissimæ stirpis solam etiam novimus fæminam. Ejus caudex plus quam bipedalis est, & in diametro pedem æquat, eadem plane structura atque præcedens, ut descriptione supersedere possim. Frondes plures, erecto-patulæ, totæ omnium rigidissimæ, apice etiam rigide recurvato, glabræ, rore ex cæruleo glauco tectæ, hoc deterso læte virides, abrupte pinnatæ. Costa inermis, tripedalis, subteres, supra depressula, basi digitum crassa. Pinnæ pleræque alternantes, sessiles, lineari-lanceolatæ, coriaceæ, subtilissime striatulæ, pleræque in infe-

riori latere dente uno alterove lanceolato exciſæ, dentibus his & pinnarum acuto apice in mucronem validum pungentiſſimumque terminatis, inferiores integerrimæ & una cum ſuperioribus breviores, mediæ longiores ferme ſemipedales, ſuperiores ad oppoſitas ſuas convergentes. Amentum fæmineum maturum oblongum cum ſummitate conica & obtuſa, quindecim uncias longa, diametri octo unciarum; ſquamis fuscis, vertice rugoſis, duas drupas coccineas more congenerum continentibus. Crescit ultra centum milliaria diſtante a Promontorio bonæ Spei loco In tabula 27. ſiſtuntur amentum fructeſcens fæmineum, rhachis ejusdem cum una adhucdum adhærente ſquama, hæc cum inhærentibus drupis utrinque conſpecta, nux, & portio ſumma caudicis. Tabula 28. proponit frondem cum intermedia parte ſemipedali deficiente.

93. ZAMIA LONGIFOLIA. *Jacq.* Tab. 29.

Hæc, Zamias inter, frondis altitudine ſuæ ſpectabilis eſt. Caudex novemuncialis pedalem jam habet diametrum, ſtructura cæterum priorum. Frondes plures, erecto-patulæ, rigidæ, abrupte pinnatæ. Coſta a quinque ad ſeptem pedes longa, inferne digitum craſſa, teres, ſupra depreſſula, apice recurva. Pinnæ utrinque plus minus quinquaginta, longe lanceolatæ, omnes integerrimæ, pleræque alternæ, quædam oppoſitæ, ſeſſiles, coriaceæ, ſubtus ſubtiliter ſtriatulæ, infimæ ſolæ quædam mucronatæ & pungentes, reliquæ obtuſæ & mucrone carentes, infimæ & ſummæ breves, mediæ quadriunciales, utrinque, maxime autem in facie, uti & tota coſta tomento obductæ araneoſo, ac ſi pulvere inſperſo ſorderent, ad trituram abſcedente, & tunc virides. Solum amentum masculinum vidi. Hoc conum refert elongatum, acutum, rectum, ſesquipedalem, quinque uncias diametro æquantem, fuscum, & ſtructura congenerum. Locus ejus natalis æque procul a Promontorio diſtat ac præcedens. Tabula exhibet totum amentum masculinum, ſquamam cum polline, portionem ſummam caudicis, & frondem, cujus intermedia ſesquipedalis pars deficit. Cum tomentum formam pulveris ſordentis præ ſe fert, non potuit a pictore aliter exprimi.

94. ZAMIA LANUGINOSA. *Jacq.* Tab. 30. & 31.

Hujus Zamiæ fructificatio nobis ignota eſt; nam licet fibris radicalibus ſuſtineatur vegetis, tam lente increſcit, ut augmentum annotinum vix oculis obſervetur, atque hinc floris obtinendi exigua ſpes ſit; tum quia jam per 12 annos unicum ſpecimen in horto cæſareo colitur, ab hortulano aulico Francisco Boos ex Promontorio bonæ Spei adlatum. Caudex in hoc nunc altitudinem novem unciarum attigit, ſubrotundus, ſtructuræ ejusdem cum prioribus, ſed lanugine ad tactum molli totus obductus, quæ plane deſideratur in aliis. Frondes plures, erecto-patulæ, totæ glaberrimæ & ſupra nitidæ, baſi ſola lanuginoſæ, abrupte pinnatæ. Coſta baſi calamo craſſior & ſubtriangularis, cæterum dorſo & facie carinata, inermis, tripedalis plus minus, rigidula, ad apicem recurvata. Pinnæ alternæ, ſeſſiles, lineari-lanceolatæ, coriaceæ, rigidulæ, infimæ integerrimæ, reliquæ dente uno alterove inciſæ, apice & dentibus in mucronem pungentem deſinentibus, infimæ & ſummæ breviores, mediæ quatuor uncias longæ, ſubtus ſubtiliter ſtriatæ, ſuperiores ad oppoſitas ſuas convergentes. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Tabula 30. ſiſtit totum caudicem, tabula 21. folium cum deficiente media parte.

95. IXIAE MINIATAE VARIETAS. *Jacq.* Tab. 32. Fig. 1.

Planta hæc ſolo florum colore & ſcapo ſimplici differt a mea Ixia miniata Horti Schönbrunnenſis, foliis bulboque plane convenit; quare hic ſolos flores propoſui. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret in tepidario menſe Martio.

96. IXIAE FENESTRATAE VARIETAS. *Jacq.* Tab. 32. Fig. 2.

Etiam hæc Ixia omnino tota quanta congruit cum illa, quam dixi feneſtratam. Differt

quam maxime floris colore & odore ſuaviſſimo. Propterea etiam ſolam ſummam ſcapi florentis partem depingi curavi, tum ſeparatam petali laciniam, in utroque latere hyalinam. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. In tepidario floret Martio.

97. CALLA AETHIOPICA. *Linn.* Tab. 32. Fig. 3.

Planta hæc frequens colitur in omnibus apud nos hortis, in quibus tepidaria exſtructa ſunt. Anno 1798 tres plantas fructeſcentes videre mihi contigit in horto Schönbrunnenſi, nec ullam ullibi antea. Hinc ſtirpis notiſſimæ ſolum fructum hic deſcribo delineoque. Baccæ denſe occupant inferiorem plus quam dimidiam ſpadicis erecti partem, dum ſumma ejusdem pars contracta & emarcida perſtat. Sunt illæ molles, flavæ, a vicinarum compreſſione diverſimode angulatæ, ſuperne compreſſæ, fusca brevique ſtyli parte perſiſtente mucronatæ, apice planiusculæ, baſi anguſtatæ, uniloculares. Pulpa flava, fatua & ſubdulcis. Semina in ratione molis baccarum ab unico ad decem, ſubovata, glabra, pallida cum puncto ſuperne fusco. Fructescit Septembri. Siſtitur totus ſpadix fructeſcens cum duabus baccis & cum ſemine ſeparatis.

98. LIMODORUM UTRICULATUM. *Swartz. prodr. pag.* 119. Tab. 32. Fig. 4.

Duas ſolas hujus Limodori individuas plantas hortulani aulici vegetas Viennam ex Caracas attulerunt, quæ altero & tertio anno flores produxerunt, quando hanc figuram fieri curavi, ſed fibrillis radicalibus orbam, non auſus has detegere; ne plantas læderem. Subſequa vero hieme putruit utriusque radix, dum nec adhucdum concinnaveram deſcriptionem. Baſis ſpathæ aquam continet ad usque *a*, hic foris conſpicuam.

99. MIMOSA LIGUSTRINA. Tab. 32. Fig. 5.

Arbor circa Caracas crescit, tota inermis & glabra. Folia ſunt alterna, petiolata, bigemina, petiolo communi ſcilicet bifido cum partialibus ad apicem diphyllis. Foliola ſunt ſeſſilia, oblonga, obtuſula, integerrima, firmula, venoſa, majora biuncialia. Pedunculi axillares, ſolitarii, ramoſi, ſpicati, erecti. Spicæ cylindricæ, ſescunciales, denſæ. Perianthium infundibuliforme, viride, erectum, ore quadridentato & acuto. Corolla monopetala, infundibuliformis, erecta, alba, calyce duplo longior, tubo cylindrico erecto, limbo patulo trifido vel inæqualiter quadrifido in lacinias ovatas & obtuſulas. Filamenta plurima, longiſſima, ſubulata, inferne coalita in tubum cylindraceum longitudine corollæ, ſuperne libera, erecta, alba. Antheræ flaveſcentes. Stylus ſtaminum longitudine, erectus, capillaris. Stigma ſimplex, acutum. Legumen lineare, ſemipedale, polyſpermum, glabrum, fuscum, bivalve. In tabula ſiſtuntur ramulus florens; aucta flos totus cum corolla trifida, & petalum quadrifidum ſeorſim; dein legumen & ſemen.

100. SANSEVIERIA FRAGRANS. Tab. 33. Fig. 1.

In tabula ſecunda hujus operis, primo vere anni 1800 editi, figuram fructus, quem unicum eo usque ſtirps produxerat, depictam dedi; anni autem ejusdem autumno plurimos protulit, eosque multo perfectiores; quare hic denuo unum exhibeo, eundem transverſe ſectum, ſemen arillo incluſum membranaceo, idem exemptum & inferne ac ſuperne conſpectum, tum germinantem ex ſemine novellam plantulam. Germen fuit triloculare & triſpermum, ſed in fructibus majoribns duo tantum ſemina ad perfectionem pervenerunt, in minoribus unicum, in nullo tria.

101. PSYCHOTRIA UNDATA. *Jacq. hort. Schönbr.* Tab. 33. Fig. 2.

Tandem hic frutex fructus maturos tulit, qui in racemulo hic ſiſtuntur, baccæ rubentes, ſemine duplici fætæ.

102. NISSOLIA FRUTICOSA. *Linn.* Tab. 33. Fig. 3.

Hæc figura repræſentat plantulam ex ſemine enatam novellam cum cotyledonibus ſuis.

103. CRESCENTIA PINNATA. *Jacq. collect.* Tab. 33. Fig. 4.

Quantumvis læte vegetet æſtate, tamen nondum floruit, nec veroſimiliter florebit, quum autumno folia omnia ramulosque perdat ipſos. Folium hic depingi curavi ex viva, fructumque minorem ſeminibus orbum, quem hortulanus aulicus Fr. Boos attulerat, Creſcentiæ Cujetæ fructibus æmulum.

104. CRESCENTIA CUJETE. *Linn.* Tab. 33. Fig. 5.

Floret in caldariis noſtris æſtate quotannis, ſed fructu caret. Culta hæc apud nos planta, ex Caracas adlata, flores magnitudine & colore diverſos ab illis, quos in ſtirpibus americanis pictis tabula 167 ſiſtit, habet, forte ejus varietas. Hinc non ſuperfluum duxi, etiam cultæ hujus florem, antice & ex dorſo conſpectum, hic depictum dare.

105. BURSERIA GUMMIFERA. *Linn.* Tab. 33. Fig. 6.

Conſpicitur hic planta novella, ex ſemine nata, ſola radicula truncata. Folia ſeminalia ternata habet ſupra tellurem multum elevata.

106. URTICA DIVARICATA. *Linn.* Tab. 33. Fig. 7.

Tota ſcabra eſt, ſed fere iners. Sub dio ex radice perenni quotannis caules plurimos promit herbaceos, calamum & ultra craſſos, tripedales, erectos, teretes, vix ramoſos, ſæpius ſimplices. Folia ſunt alterna, petiolata, late ovata, acuta, ſerrata, utrinque valde rugoſa, ſubtus coſtata, majora cum petiolo ſemipedalia. Floret totam æſtatem. Racemi axillares, plus minus quadriunciales, patentiſſimi, paniculati ex ramulis alternis ſubdiviſis, omnibus horizontaliter expanſis. Flores monœci. Maribus perianthium cum flavedine pallens, patentiſſimum, ſubtus hiſpidum, pentaphyllum; foliolis oblongis, concavis, obtuſis. Nectarium urceolatum, quinquedentatum. Filamenta quinque, ſubulata, antice crenulata, reclinata, calyce longiora. Antheræ didymæ, incumbentes, albæ. Fæminis perianthium monophyllum, quadripartitum, viride; laciniis duabus lateralibus ovatis; ſumma & infima minutiſſimis. Germen ovatum, abiens in ſtigma ſubulatum craſſum longum acutum album hirſutum & aſſurgens. Semen nigrum. Aucti in tabula ſunt flores mas & fæmina.

107. MIMOSA CYCLOCARPA. *Jacq.* Tab. 34. Fig. 1.

Soli fructus ex Caracas huc adlati fuerunt ſub ſolo titulo novæ ſpeciei Mimoſæ arboreæ, incolis dictæ Caracare. Ille tam mihi videbatur ſingularis, ut figura exprimendum eſſe crederem. Eſt legumen compreſſo-planum, ad ſemina ipſa toruloſum, glabrum, ex fusco nigrum, uniloculare, polyſpermum, bivalve, in margine repandum, obtuſiſſimum, ſeſcunciam latum, totum tortum in circulum cum ſutura interiore hinc breviſſima. Semina ovata compreſſa & fuſca non germinarunt apud nos ulla. In tabula exhibetur totum legumen, hujus transverſim ſecti pars ſumma, ex qua conjici poteſt, inter ſemina medullam adfuiſſe aliquam nunc ſiccatam, & ſemen.

108. ROSA BRACTEATA. *Wilden. ſpec.* Tab. 34. Fig. 2.

Frutex quadripedalis, ramoſus. Caulis ramique teretes, flexuoſi, aculeis ſparſis ſubulatis recurvis villoſis & ferrugineis armati, denſe & molliter villoſuli, prætereaque pilis capitatis

& villo longioribus interſperſis ornati. Stipulæ acuminatæ, laciniatæ, dentatæ, glanduloſæ, parvæ. Folia alterna, pinnata ex tribus quatuorve paribus cum impari. Coſta plus minus ſesquuncialis, rubella, ſubvilloſa, dorſo parum aculeata. Foliola oblonga, etiam obverſe ovata, obtuſa, ſerrulata, nitida, glabra, rigidula, parva. Pedunculus terminalis, uniflorus, ſolitarius, craſſus, brevis, erectus, villoſus, baſi obvallatus bracteis fere quinis, involucri adinſtar, ovatis, acutis, concavis, ſerratis, villoſis, erectis vel conniventibus. Calycis foliola ovata, acuminata, integerrima, concava, villoſa, patentiſſima. Petala quinque, obverſe cordata, alba, patentiſſima, magna. Germen ſubrotundum, villoſum, ex incano virens. Creſcit in China. Floret apud nos in tepidario Septembri. Siſtitur rami florentis pars ſumma; & ſeorſim floris gemma cum bracteis.

109. ROSA MOSCHATA. *Aiton.* Tab. 34. Fig. 3.

Hortulanus aulicus Conſtantinopolitanus, frater hortulani aulici Schönbrunnenſis, ſtirpem hanc Viennam miſit, notans, Conſtantinopolitanis eſſe ob odorem in deliciis, ubique in hortis coli, & ad ædium parietes locatam ad alteram usque contignationem veluti ſcandere. Differt ab illa moſchata, quam in Horto Schönbrunnenſi deſcripſi, flore quam maxime multiplicato, tum quod petala diutiſſime perſiſtunt, etiam in marceſcente, quæ in altera vere caduca ſunt omnia. Solam varietatem eſſe opinor, quum reliqua tantopere congruunt, ut diſtingui nequeant. Plerique flores toti albi ſunt, nonnulli rubore ſuffunduntur. Utriusque exemplar in tabula conſpicitur.

110. ROSA CUPREA. *Jacq.* Tab. 34. Fig. 4.

Ob coloris ſingularitatem hic duos flores exhibeo, tum calycem, fructum maturum, & folium. Meram varietatem credo Roſæ provincialis.

111. CYNANCHUM CRISPUM. *Thunb.* Tab. 36. Fig. 5.

Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos in caldario floret Octobri. Totum lacteſcit abunde. Radix eſt tuber carnoſum, teretiusculum, cinereum, puſtulatum, obtuſum, ſemipedalis diametri, pedale, baſi in crura diviſum, magnam partem extra terram elevatum. Ex hujus vertice caules exeunt plures, calamum plus minus craſſi, fruticoſi, ſempervirentes, teretes, villoſuli, ramoſi, erectiusculi, debiles, bipedales. Folia ſunt oppoſita, omnium breviſſime petiolata, lanceolata, obtuſa, integerrima, criſpa, rigida, lucida, per lentem ſubtus & ad oras villoſula, uncialia, reclinata. Pedunculi ſublaterales, uniflori, gemelli ut plurimum, breves, villoſuli. Flores ſuaveolentes. Calycis quinquepartiti & villoſuli foliola ovata, acuta, erecta. Corollæ tubus, glaber, longitudine calycis. Limbi quinquefidi laciniæ lineares, obtuſæ, ad oras valde revolutæ, obliquæ, patentiſſimæ in ſtellam; tubo longiores, vireſcentes. Nectarium album, campanulatum, baſi decem fiſſuris apertum, ſuperne decemfidum & patentiſſimum, laciniis alternis ſubulatis baſique dentatis, reliquis rotundatis & parvis. Bracteæ ſtaminiferæ quinque, oblongæ, obtuſæ, ad oras revolutæ, erectæ, albæ. Filamenta in qualibet bina. Antheræ oblongæ, albæ. Germen ovatum, biſulcatum, in ſtylum deſinens brevem. Creſcit ad Promontorium bonæ Spei. In caldario floret Octobri. Tabula repræſentat verticem radicis cum abſciſſis caulibus, ramulum florentem, auctum totum florem cum truncatis petali laciniis, ſimiliter auctum nectarium, dein multo magis auctam bractearum ſtaminiferarum compagem, unicam talem bracteam cum antheris ſuis, & piſtillum.

112. MALACOXYLUM PINNATUM. *Jacq.* Tab. 35. Fig. A.

Primus, qui hujus ſtirpis mentionem facit, eſt celeberrimus Charpentier Coſſigny, in Itineribus ſuis pag. 208, qui hæc pauca habet: Mapou eſt arbor quam maxime poroſa, quæ cres-

cit in insula Mauritii, & succo gaudet, qui tumefacit corporis partes, quas attingit. Propterea in cædenda illa caute agunt incolæ. Unicum ex dicta insula adportavit hortulanus aulicus Franciscus Boos, trunco brachium crasso & quinque pedes alto, dixitque, ibidem Bois Mapou sive arborem mollem vocari, & truncum acquirere, quem vix complecti ambabus homo ulnis possit, tamen sic mollem, ut cultro truncari queat. In caldario quotannis æstate novos ramos digitum crassos compressiles foliisque ornatos emisit, proxima hieme veluti articulatim deciduos; & sic mansit per novem annos semper eodem in statu; quando tandem periit. Fructificationem plane ignoro. Folia sunt alterna, glabra, bipinnata, pleraque cujusmodi illud est, quod in tabula exhibui, cæterum variantia. Costa princeps teres, inferne calamum crassa, plus minus novem uncias longa. Costæ laterales oppositæ; infimæ bijugæ cum impari vel sine impari folio; subsequæ duæ sine impari unijugæ; nec alias habet. Costæ principis summitas infimis similis. Foliola sunt opposita, breviter petiolata, lanceolata, utrinque acuta, integerrima, a duabus ad tres uncias longa, Nomen a mollitie ligni desumpsi, abrogandum, si aliquando ad genus jam notum pertinere intelligatur.

113. PILOPHORA TESTICULARIS. *Jacq.* Tab. 35. Fig. B—G & Tab. 36.

Ex alluente mari ad insularum Caribæarum littora fructus nonnunquam ejiciuntur, quos Galli dicunt esse ex palma quadam maritima ignota, nec ultra quidquam de iisdem se scire. Innotuit tamen ille fructus jam ante duo sæcula, nec magis propterea extra omne dubium ponitur ejus origo. Mentionem hic facio illius, ut attentos reddam Botanicos, qui ad fluvii Amazonum ripas Guianæque littus advenient. Primus, qui, quod sciam, de hoc fructu egit, est celeb. De Laet in Novo suo orbe seu Descriptionibus Indiæ occidentalis pag. 630, quem hic totum exscribam. Hæc ejus sunt verba. In regione fluvio Amazonum adjacente, accepi a quodam nostrorum fructum elegantissimum, quem ille nasci referebat in arboribus silvestribus, quarum tamen frondes haud satis poterat explicare; itaque fructum tantum ad vivum expressum, hic adjunximus ea mole, qua est. Fructus hic erat cortice lignoso, exterius tuberculis multis aspero eleganter conformato, & ex duobus veluti orbibus conjuncto, coloris fusci sive cinerei, qui interius sepimento lignoso dividuntur in duas orbiculares cellas, quibus singulis continentur singuli nuclei, rotundi quidem sed ea parte, qua sepimentum contingunt, nonnihil compressi; suis itidem corticibus tecti lignosis iisdem sed tenuibus, coloris interiori parte purpurei sive violacei; nucleus autem ipse intus vacuus erat, materie pene instar gallarum. Hactenus ille. Alter autor, qui hujus meminit fructus, est Jonstonus in Dendrographia sua pag. 195. etiam cum figura. Sed hunc non moror, solam enim De Laetii descriptionem contractam dedit. Satis autem mirari nequeo, nec Pisonem, nec Marcgravium, nec Aubletum de hoc fructu quidquam inaudivisse; nec magis illum vidisse Plukenetium & Petiverum, qui certe suis operibus inseruissent. Nam sane Urucury, cujus mentionem Piso pag. 62. & Marcgravius pag. 104. faciunt, quam palmam esse nostram stirpem De Prefontaine & De Bomare suspicantur, ex collatis descriptionibus esse nequit. Mihi plusculos videre in America contigit, omnes sibi simillimos. Unius figuram pingi & sculpi curavi; cujus exemplar amicissimo & eruditissimo Medicinæ doctori Carolo Schreibers, per Europam peregrinaturo, tradidi, ut notitiam aliquam uberiorem super illo mihi compararet. Nullam in Germania accepit. Londini in musæo Britannico similem observavit fructum, sed sine ullo titulo, plane ignotum. Alterum vidit Parisiis in collectione vegetabili publica, quem celeberrimus Jussieu ipsum docuit esse ex planta, cujus historiam tradit celeb. Valmont de Bomare in Dictionario suo universali Historiæ naturalis vol. 14. pag. 298. sub nomine Tourloury; simulque ostendit sacci speciem reticulati, ex eadem planta naturalem. In hoc opere mentio fructus fit levissima absque ulla formæ & structuræ descriptione, ut nemo vel divinare potuisset, pertinere ad illam stirpem sine istius viri eruditissimi assertione. Ex quo fonte habeat celeb. Bomare suam historiam, ignoro. Cum autem hic citet alium autorem, se anteriorem, scilicet illustrem De Préfontaine, autoptam, cujus in opere Maisons rustiques de Cayenne, anno 1763. Parisiis vulgato, paucissima hæc verba, ex Gallica in Latinam lin-

guam verſa, primo exponam. Tourloury folia habet quindecim vel ſedecim pedes longa, diſtincta per coſtam mediam longitudinalem. In uſum trahuntur cum longitudinaliter tum transverſe ad tegendas caſas, apprimendo coſtas proxime ad invicem. Hæc tecta ferme tamdiu durant atque illa ex ſcandulis, nec incendio facile uruntur. Poſt folia Ouaye magis expetuntur, & ſunt magis obvia. An Urucury Piſonis? Hactenus ille. Lego etiam apud reverendum Labat in itinere equitis Des Marchais in Guineam & Cayennam anno 1727. facto, & Pariſiis 1730. edito: Cayennæ caſæ teguntur ope Tourlouri vel ſummitatum arundinum, tam preſſe poſitarum, ut aqua penetrare nequeat. Forte de noſtra planta loquitur. Nunc ad amplam celeberrimi De Bomare deſcriptionem, quæ ſic ſonat. Tourloury. Planta ex regione Guianenſi, quæ creſcit ab Oyapoc ad usque fluvii Amazonum oſtia *(ſive a quinto latitudinis ſeptentrionalis gradu ad lineam usque æquinoctialem in tractu octoginta milliarium)*. Subſtantia ejus ad arundinaceam tantiſper accedit, ſed folia ſunt multo craſſiora. Sunt hæc decem vel duodecim pedes longa, imo dari quindecim vel ſedecim longitudine pedum, aſſerit De Préfontaine. Mediam longitudinem permeat coſta valida, cujus petiolus videtur ex ipſa prodire terra. Lata ſunt tres quatuorve pedes, ut tres homines uno folio tecti ſeſe a pluvia defendant. Indi ejus loci, poſt ablatam coſtam, cum Lianes *(ſic vocantur in Indiis a Gallis frutices omnes ſarmentoſi aut volubiles, qui ad ligandum funium loco adhiberi poſſunt, uti in Auſtria Clematis vitalba, forte a Gallico lien vel lier; et hi ingenti inter tropicos occurrunt numero)* concinne conſuunt. Dein illa ſecant in ſegmenta dimidium pedem lata, quæ omnia colligunt, ſibique mutuo imponunt, ut facilius convolvere illa, telæ adinſtar ceratæ, atque ſic in itineribus ſuis, dum aliorſum pergunt, ad tegendas ſuas ajoupas *(ajoupa apud Caraibas eſt caſula temporaria, in ſilvis ſine omni apparatu et feſtinanter ex vegetabilibus exſtructa)* adhibere queant. In hunc finem ſupremo tecto alligant, ſinuntque cadere hoc convoluti tegminis genus, quod ſe evolvit, extenditque ultro; dein baſi firmandum, quando a præcipitibus denſisque imbribus, qui in hisque regionibus decidere paſſim ſolent, nec penetrantur, nec damnum capiunt. Folia etiam teſte præmemorato De Préfontaine &c. *(hic verbotenus allegantur omnia, quæ ex hoc autore pauca dicta ſunt; quare hic omitto: dein ita pergit)*. Ex centro plantæ caulis *(an ſcapus?)* attollitur, duos tresve altus pedes; qui amplum ſuſtinet fasciculum fructuum durorum, ſingulorum magnitudine ovi gallinacei. Faſciculus ille veſtitur cortice *(an ſpatha?)* quatuor fere lineas craſſo, qui fructus tegit atque includit, formamque tenet pilei in acumen deſinentis; qui delabitur, quando fructus ad certum volumen increvit. Scilicet pars pilei carnoſa putreſcit, dum ſolæ remanent fibræ. Has Indi diligenter colligunt, iisdemque caput ſuum tegunt. Vendunt etiam illas ſimilium rerum ſtudioſis. Fructus nullius ſunt uſus; Caviis Agouti in eſcam cedunt. Hactenus De Bomare. Nunc ego fructus deſcribam, quales aliquot in America videre & obtinere mihi contigit, omnes ſibi ſimillimos, & aqua marina penetratos, unde ſalſo gaudent ſapore. Figuram habent duorum globorum diametri ſescuncialis, qui ubi ſeſe contingunt, in unum corpus continuum confluunt et adunantur, circa medium in collum coarctati, in quo unicum foramen eſt, fortaſſe locus, ubi cum planta fructus cohæſit. Hanc figuram ſolus fingit cortex exterior ceu integumentum commune; qui ſubſtantia ſua & colore cruſtam terream margæ induratæ exacte æmulatur, ſed quæ indolem vegetabilem ſuam ilico prodit, quando candelæ accenſæ admota in flammam exardeſcit cum fumo odorem corticis arborei uſti ſpargente, ſic tota dein deflagrat, paucosque cineres albos relinquit. Forte mollior & aliter colorata in planta fuit, nunc fragilis atque fuſceſcens. Foris tota quanta in tubercula pyramidata denſe attollitur. Intus ſubæquabilis eſt, & venulis ſuperficialibus percurritur. Includit hæc cruſta duas nuces orbiculares, magnas, ab invicem diſtinctiſſimas, nec vel minimum connatas, aut inter ſe aut cum ipſa cruſta, tamen in medio ſibi contiguas ſine ullo diſſepimento, graciles, fragiles, glabras, ab incumbentibus filisleniſſime ſulcatas, cinereas, intus veſtitas cruſta ochracea tenui varieque fiſſa, quam aqua nec emollit, nec abluit. Cæterum has omnes ego vacuas inveni, omni nucleo carentes, imo nec hujus aut putrefacti aut alias deperditi reliquias vel veſtigium ullum. Nec capio, quo potuerit pacto nucleus, de quo tamen autopta De Laet ceu vere incluſo loquitur, ex nuce tali exire & evadere. Anne forte in meis ſpeciminibus,

a maturitate longe diftanftibus, nucleus adhucdum mera mucilago fuit, quæ exficcatione fic evanefcere potuit? Nux, cæterum undique claufa, in parte fola, qua refpicit cruftæ foramen, apertura pertunditur ovali, cui interne valvula refpondet applicaturque immobilis & tenuis, ferme ejusdem dimenfionis, altera parte fuperiore in discum orbicularem craffiorem elevata; infra quam nucis hic fiffæ fegmenta in duas parvas valvulas introrfum patentes deprimuntur. Singulas nuces rete circumdat, undique liberum, ex fibris contextum applanatis ramofis anaftomizantibus & coloris ferruginei, quorum extremitates fimplices verfus foramen ovale concurrunt, & ex quibus, reti illæfo, extrahi nuces poffunt. Ut ftructura horum fructuum evidentius intelligatur, tabulæ trigefimæ quintæ figura B. fructum fiftit integrum, a latere fpectatum, cujus foramen, cohæfionis cum planta indicium, fundum occupat, hinc hic non confpiciendum. C. eundem exhibet a fundo vifum cum avulfa maxima cruftæ parte, ut in confpectum prodeant nuces cum valvulis fuis. D. nucem folam reti fuo involutam, & inverfam, nam valvula in fundo locatur. E. eandem erectam. F. partem nucis fractæ interiorem cum binis valvulis fuis. G. cruftæ fruftum intus vifum, venulis fuis infignitum. In fuburbio Leopoldino Viennæ in monafterio Carmelitarum affervatur jam a pluribus annis alias inter res hiftoriæ naturalis faccus vel pileus, olim ex Brafilia Uliffipponem atque hinc Viennam adlatus, omnino ignotæ originis; quem nunc fupra laudatus medicus Schreibers afferuit, effe eundem cum illo, quem ipfi ex Tourloury monftravit Parifiis illuftris Juffieu. In tabula 36. igitur hunc in magnitudine naturali exhibeo. Eft faccus conicus, duos cum dimidio pedes longus, coloris ferruginei, in apicem folidum quatuor longitudine unciarum & digiti minimi craffitie terminatus, bafi lacera in plura fegmina femipedalia & ultra definens, quibus videtur ftipiti fuo accreviffe, cujus craffities ex amplitudine facci æftimari poteft. Totus, apice excepto, conftat fibris oblique longitudinalibus, mutuo decuffantibus, per tenuiffimas fibrillas transverfas connexis, fat tenacibus, ut ampliari pileus poffit, capitique aptari & imponi, miræ texturæ. Cæterum fola carpophylacii Parifini fide motus, & hunc faccum & illos fructus ad eandem pertinere ftirpem pronuntiavi; nam apud nullum ex auctoribus fupra laudatis hæc conjici res poteft. Sed jam ante duo fæcula Carolus Clufius in Exoticorum libri primi capite fecundo mentionem fecit Palmæ facciferæ, figuramque adjecit facci, cum noftro fupra memorato convenientis, fi folos exceperis villos, in utroque Clufiani latere confpicuos, qui in noftro adfunt planæ nulli, fed forte aut lacer faccus fuerat, aut male delineatus a pictore, aut vero ad diverfam ejusdem generis pertinere fpeciem debebit. Nec fructus cum meo congruit. Ut omnia hic collecta legi queant, quæcunque ad hanc ftirpem fpectare poterunt, etiam Clufium adjungam. Sic ille habet. Nautæ *quidam* in reditu *ex Brafiliæ oris* in defertam quandam infulam funt delati; Coronopez appellaffe, mihi relatum eft; in qua integras filvas repererunt nulla alia arbore conftantes, quam Palmæ quodam inufitato genere, cui, ab involucro faccum five colum referente, in quo fructus reconditus, (fpatha enim commode dici nequit illud involucrum) facciferæ nomen indidi, quandoquidem forma valde fimile eft illi colo five facco, quem nivarium Veteres dicebunt, & quali noftro tempore Pharmacopolæ vinum aromatites (hippocraticum vulgo appellant) percolare folent; nam creberrimis quibusdam fibris fpadicei coloris transverfim & oblique ab infimo ad fupremum excurrentibus magno a natura artificio contextum eft, idque varia longitudine: quod enim ab ornatiffimo viro Theodorico Coornhart accipiebam, viginti duas uncias longum erat, & ea parte, qua patebat, feptem latum. Wilhelmus Parduynus unum habebat, cujus longitudo meum octo unciis fuperabat; etenim binos cum femiffe pedes five triginta uncias longus erat; ejus latitudo par cum meo. Plura quam hæc duo mihi videre non contigit. Utrumque autem fenfim gracilescens in mucronem definebat. Ista porro revolucra (iis referentibus, qui ab arbore resciderant) plena fuerunt fructibus nucem juglandem cum externo fuo pulvino five viridi cortice magnitudine æquantibus, in quibus orbiculares aliæ nuces adeo rotundæ, ut torno elaboratæ viderentur, & globulis illis, quos pueri in lufu pollice impellare folent (vulgus Batavorum *Knickers*, Galli *Martres* appellant) effent perfimiles cum magnitudine tum colore, atque adeo duræ (unam enim confringebam, ut viderem, quid contineret) ut nifi ferreo malleo & cum difficultate confringere quiverim, tametfi non valde

craſſo putamine ſint prædditæ; continebat autem ea orbicularem nucleum putamini adhærentem, medio cavum, ut qui ſiccitate lacunam contraxiſſet, candidum, ſapore initio quaſi leguminum, deinde inſtar lupini amaro. An vero ſaccus ille aliquo cortice aut cute tectus fuerit, me latet; nec mihi facultas data eſt eos conveniendi, qui obſervaverant, ut diligentius omnia perſcrutarer; ſaccum enim, qualem accipiebam, cum orbiculari nuce adpingendum curabam, in illorum gratiam, qui exoticarum rerum ſtudio delectantur. Hactenus Cluſius.

114. OXALIS COMPRESSA. *Linn.* Tab. 37.

In Monographia mea hanc plantam deſcripſi, ut potui, incomplete, figuramque exhibui ad ſiccum ſpecimen ſilveſtre factam. Egregius Scholl ex Promontorio bonæ Spei redux plures ſecum bulbos ejusdem attulit, qui totidem protulerunt Oxalides compreſſas, a ſilveſtri capenſi magnitudine & florum numero quam maxime discrepantes, cæteris proprietatibus ſimillimas. Hanc cultam hic deſcribam, & icone illuſtrabo. Radix conſtat fasciculo fibrarum teretium, ramoſarum, fusceſcentium, quarum craſſiores inferne veluti in tuber carnoſum & ellipticum excreſcunt. Has inter infra folia aggeries habetur bulbillorum novorum ovatorum acutorumque. Stipes ſubterraneus, vix ullus. Folia numeroſa, ternata, tota virentia, ſubtus pallidius, in orbem terræ incumbentia, pauca erecta. Petiolus baſi articulatus, pubescens, plus minus ſemipedalis, tres lineas latus, dorſo convexulus, facie fere planus, margine tenui in utroque latere auctus, hinc anceps. Foliola obverſe cordata, breviſſime petiolata, ſubtus coſtatula & pubeſcentia, facie glabra, ſescunciam longa lataque. Scapi plures, axillares, ſucceſſive prodeuntes, pedales vel foliorum dumtaxat longitudine, compreſſuli quidem, ſed non ancipites, erectiusculi, debiles, pennam columbinam craſſi, pubeſcentes, ad baſin articulati, umbellam florum a tribus ad ſex ſuſtinentes. Bracteolæ involucri plusculæ, lanceolatæ, acutæ, parvæ, pubeſcentes, virides. Pedicelli baſi articulati, erecti, teretiusculi, pubeſcentes, unciales. Calycis vireſcentis foliola lanceolata, acuta, erecta, pubeſcentia. Corollæ campanulatæ & flavæ ungues breves, diſtantes; laciniæ obverſe ovatæ, rotundatæ, calyce duplo longiores, ad calycis altitudinem erectæ, dein patentiſſimæ. Filamenta ad baſin coalita, omnia glabra, interiora denticulata & æqualia. Antheræ didymæ, ſubincumbentes, luteæ. Germen oblongum, quinqueſulcatum, viride, pubeſcens. Styli pilis ſimplicibus hirſutuli, ſtaminibus longiores. Stigmata penicilliformia, capitata. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos in caldario Martio & Aprili. Siſtuntur in tabula tota planta cum pluribus foliis truncatis; & aucta genitalia, foliolum calycinum & piſtillum. Patet, quantopere ſtatura differant ſilveſtris & culta.

115. PROTEA COMOSA. *Linn.* Tab. 38.

Stirpis hujus rariſſimæ poſſideo tria ſpecimina ſicca, ex Promontorio bonæ Spei ab hortulano Scholl adlata; quæ in hac tabula delineata propono cum foliis ex conjectura ad ductum laudati modo viri coloratis; nam vivam non habemus. Truncus eſt lignoſus, baſi calamum & ultra craſſus, teres, erectus, glaber, fuscus, plus quam pedalis, ſuperne incraſſatus, totus folioſus, in duobus ſpeciminibus ſimpliciſſimi, in tertio ramoſus. Folia ſunt denſe ſparſa, glabra, integerrima, ab unica ad ſescunciam longa, ſeſſilia, incurvato-erecta, avenia; inferiora linearia, anguſtiſſima et obtuſa; ſuperiora ſucceſſive latiora, cuneiformia & acuta; latiſſima pauca apice bifida; ſumma comoſa. In ſpecimine ramoſo folia omnia ramorum & pleraque ipſius caulis ſunt linearia. In ſpeciminibus meis omnibus conus eſt terminalis erectus ſeſſilis & ſolitarius, qui ſemina gerit, nec florem, qui nec a celeberrimo Thunbergio deſcribitur, hinc plane ignotus. Conus ille triuncialis & obtuſus denſiſſime imbricatur ex ſquamis horizontalibus, rigidis, fuscis cum limbo extimo late truncato incraſſato & nigricante, nonnunquam duabus vicinis coalitis. Hæ ſquamæ avulſæ fundum aquæ ilico petunt hac graviores. Singulis incumbit ſemen unicum, planum, ſubrotundum, fuscum, cinctum membrana tenuiſſima ſubrotunda & coloris dilutioris.

116. HAEMANTHUS TOXICARIUS. *Aiton et Thunb.* Tab. 39. & Tab. 41. Fig. 1.

Ex Promontorio bonæ Spei plures bulbi adlati fuerunt; qui in horto Schönbrunnenſi per plures annos lætiſſime vegetarunt, autumno folia producentes, perſiſtentia ad usque Majum, quando marceſcunt; ſed neque florem, nec ſobolem dederunt. Tota planta glabra eſt. Bulbus ex oblongo ovatus, pugnum craſſus, tunicatus ex ſquamis truncatis & craſſis, foris fuscus, ex baſi fibras emittens albidas, ſæpe (ſi in pulvillo, hieme vitris & ſtramine tecto, locatur) ad tres quatuorve pedes horizontaliter excurrentes. Folia ſunt ſubenſiformia, diſticha, baſi mutuo amplexantia, in utrumque oppoſitum latus patentiſſima, integerrima, acutula, glauca, inferne concava, undulata, ſuperne obliqua, longiora ſesquipedalia & ultra unciamque lata. Egregius Georgius Scholl, ex Africa redux, ſpecimina plura ſicca ſcapi florentis, cum hujus, tum ſubſequi Hæmanthi ciliaris, ſecum attulit, cujus utriusque figuram tabula prima & quadrageſima proponit; & ad quæ deſcriptiones meas concinnavi. Hujus toxicarii ſcapus eſt compreſſus, ſemipedalis, erectus, terminatus umbella erectiuscula & vix hemisphærica florum plus minus ſexaginta. Spathæ foliola ſunt ovata, acuta, uncialia. Pedunculi biunciales deſinunt in germen turbinatum & triquetrum, plane uti in Amaryllidibus orientali, ſtriata & falcata, quæ ultima a Thunbergio etiam adnumeratur Hæmanthis. Flos uncialis. Corollæ tubus cylindricus, rectus, laciniis triplo brevior. Hæ ſunt lanceolatæ, inferne angustatæ, obtuſæ, æquales. Filamenta ſubulata, ſitu & longitudine petali, cujus baſi inſerta. Antheræ lineares, incumbentes. Celeberrimus Gulielmus Patterſon in Itinerario ſuo mentionem hujus plantæ facit ſub antiquo Amaryllidis diſtichæ Linnæano nomine, dicitque, folia bobus, qui avide illa devorant, valde noxia eſſe.

117. HAEMANTHUS CILIARIS. *Aiton et Thunb.* Tab. 40. Fig. 1. & Tab. 41. Fig. 2.

Bulbus ovatus, pugnum craſſus, tunicatus, fibris craſſis longisque radicatus. Folia Septembri prodeunt plus minus quina, Decembri adulta, Martio marceſcentia. Sunt ex linguiformi oblonga, acutula, carnoſula, utrinque glabra, facie ſaturate virentia, dorſo pallidiora ſtriatula & inferne verſus oras fusco-maculata, denſiſſime ciliata pilis rigidulis fuligineis & ſæpe baſi confluentibus, erectiuscula, a ſex ad octo uncias longa & fere tres lata. Florem ferre huc usque negavit. Ad exemplaria ſicca ſcapus eſt vix ſemipedalis, pollicem craſſus, hinc convexus, inde planus, anceps, glaber, erectus, terminatus umbella ſphærica ex centum plus minus floribus. Spatha diphylla, ovata, acuta. Pedunculi triangulares, quatuor plus minus uncias longi, in omnem ambitum verſi. Germen inferum, ſubrotundum, triquetrum. Petala baſi leviſſime connexa, lanceolata, acuta, patentiſſima, æqualia, vix ſemunciam longa. Stamina ſubulata, patula, corollam æquantia.

118. BIGNONIA TETRAGONOLOBA. *Jacq.* Tab. 40. Fig. 2.

Fructus ſeminaque non pauca ex India utraque a plurimis retro annis in hortum Schönbrunnenſem transmiſſa fuerunt, vel ſolis ſub titulis brevibus, vel etiam omni fere titulo deſtituta, quorum plantæ mihi manſerunt incognitæ, ſaltem ſpecie tenus, quia nec ſicca harum exemplaria addita fuerunt, nec germinarunt illa. Ex hisce aliquot, qui adnotationem mereri videbantur, in hoc opere delineatas ſiſtam. Hos inter hic fructus ex Caracas in America meridionali eſt; miſſus ſub titulo *Bignoniæ novæ, quæ frutex ſcandens, ſemper florens, flore albo odorato, foliis ternatis.* Fructum ſat ſingularem ſic deſcribo. Siliqua a decem ad duodecim uncias longa, obtuſe tetragona cum angulis rotundatis, craſſiſſima, ſublignea, bivalvis cum diſſepimento medio parallelo, valvulis ultra unciam latis, utrinque ſimul ad ſuturas tres quartas unciæ partes æquantibus, ad tactum ob tubercula minima ſcabriuscula, ad lentem præterea punctis ſive atomis nigris adſperſa, cæterum fusca. Semina numeroſa, plana, fusca, utrinque excurrentia in alam oblongam hyalinam obtuſamque. Repræſentatur ſiliqua integra; tum etiam valvulæ pars ſumma interna, ſemen, & aucta portio ſuperficiei ſiliquæ.

119. BIGNONIA QUADRIVALVIS. *Jacq.* Tab. 40. Fig. 3.

Hic fructus ex Caracas etiam eſt, adlatus ſine ullo titulo. Semina exciderant omnia, quæ hinc non vidi. Ad Bignonias pertinere, conjicio. Eſt ſiliqua ovalis, compreſſa, acuta, undique fusca, tuberculis cinereis planisque punctata, bivalvis cum diſſepimento parallelo craſſo & acuto; valvulis craſſis duris & ipſis longitudinaliter bivalvibus. In tabula exhibetur ſiliqua clauſa, eademque dehiscens cum incluſo diſſepimento.

120. BIGNONIA CORALLINA. *Jacq.* Tab. 42. Fig. 1.

Sub titulo *Bignoniæ, incolis dictæ Bejuco de coral* ſiliqua hæc ex Caracas miſſa fuit, & dein ſub eodem nomine ſpecimen ſiccum, quod hic delineari curavi, in quo corolla expanſa aderat nulla, nec folia inferiora, forte diverſa. Nomen corallinum ſervavi, quantumvis me fugiat, unde illud mereatur hæc planta. Bejuco indicat, eſſe fruticem ſcandentem. Cirros non video in ſpecimine. Semina non germinarunt ulla, nec magis apud nos ex aliis Bignoniis Americæ torridæ; ſolis ex Bignonia ſtante exceptis. Tota glaberrima eſt. Folia ſunt oppoſita, petiolata, ternata; foliolis oblongis, integerrimis, obtuſis, leviter emarginatis, venoſis, petiolatis, duas tresve uncias longis. Racemus compoſitus, terminalis; pedunculis oppoſitis, ſubdichotomis, a tribus ad ſeptem flores ſuſtinentibus, ſimul paniculam formantibus. Calyx campanulatus cum ore breviſſimo & argute quinquedentato. Corolla ex ſpecimine ſicco haud bene extricatur, nec quoad figuram, nec quoad colorem. Siliqua pedalis, plana, coriacea, glabra, fusca, linearis, acuminata, recta, tres quartas unciæ partes lata. Semina fusca, cum alis hyalinis albidioribus, ferme biuncialia.

121. ASCHYNOMENE? CREPITANS. *Jacq.* Tab. 42. Fig. 2.

Sola pauciſſima legumina hujus ſtirpis ex Caracas fuerunt adlata, cum ſolo titulo *arboris* & ſine ſpecimine ſicco. Sola duo ſemina germinarunt, quæ plantulas produxere tenellas, paucis donatas foliis, ſi recte memini, glabris & decompoſitis, quas ſemel vidi, & brevi in hortum redux dolui totas interiiſſe. Legumen eſt ſemipedale, dimidiam unciam latum, lineare, articulatum ſive ad quælibet ſemina isthmis interceptum, incurvatulum, pedicellatum, compreſſum, glabrum, fuscescens, inter articulos utrinque repandum, uniloculare, nam diſſepimenta vera adſunt nulla, licet articulorum transverſi margines tam ſtricte conniveant, ut diſſepimentorum vices agant. Articuli in legumine maturo nullatenus cohærent cum invicem, ſed caderent ſoluti ſinguli, niſi firmiter continerentur in ſitu ſuo ab utraque amplexante integra ſutura. Sic legumen mobilitate aliqua gaudet totum, vibratumque edit ſonitum crepitaculi ſerpentis caudiſoni. Articuli plus minus quindecim ſunt ſubquadrangulares, unicumque ſinguli ſemen includunt ſubrotundum, compreſſum, albidum durumque.

122. CESTRUM FOETIDISSIMUM. *Jacq.* Tab. 42. Fig. 3.

Stirps hæc adultior fert nunc quotannis ex omnibus ramulis ſuis fructus copioſos, ob pondus ſuum ramulorumque debilitatem ipſos hos reddentes pendulos, mentientesque propter delapſa tunc omnia folia floralia paniculam; qualis hic depingitur.

123. IPOMOEA HETEROPHYLLA. *Orteg.* Tab. 42. Fig. 4.

Radix tuberoſa, carnoſa, foris fusca, teres, pollicem longa & craſſa, fibris inferne aucta, perennis. Caules annui, herbacei, volubiles, octopedales, teretes, ramoſiſſimi, una cum ramis foliis bracteis calycibusque hirſuti. Folia alterna, petiolata, quinquepalmata; lobis ſubovatis, ſubintegerrimis, obtuſulis, venoſis, patentiſſimis; lobo medio ad baſin utrinque pedato ex lobulis lanceolatis parvis & ſupra folii faciem erectis. Pedunculi axillares, ſolitarii, teretes,

patuli, plus minus fescunciales. Flores in his terminales terni, fubfeffiles, intermedius præcocius florens; bracteis fuffulti geminis, oppofitis, lanceolatis, acutis. Flores laterales præterea finguli alias duas bracteas habent longe minores. Calyx pentaphyllus; foliolis duobus exterioribus maximis, fubcordatis cufpidatis. Tertio longitudinaliter femicordato, duobus intimis lineari - lanceolatis, omnibus ejusdem longitudinis. Corolla monopetala, infundibuliformis. Tubus albidus, cylindricus, calyce duplo longior. Limbus fubrotundus, leviffime quinquelobus cum lobis mucronatis, tubo brevior, cyaneus cum ftella fubtus pallida, fed brevi rubens. Filamenta alba, tubo breviora. Antheræ pallidæ. Stylus albus, longitudine ftaminum. Stigma globofum, didymum, muricatum. Capfula fubrotunda, pifi volumine, glabra, quadrilocularis, quadrivalvis. Semina folitaria, nigra. Radix hieme fervatur in tepidario. Floret fub dio Julio & Augufto. Crescit in Cuba & Mexico. Repræfentantur ramulus florens, flos marcescens, & capfula.

124. FRUCTUS INCOGNITUS. Tab. 42. Fig. 5.

In gummi arabico, quod pro merce magna copia quotannis Cairum in Aegyptum adfertur, irretiti fæpe inveniuntur fructus valde fingulares, quos ad nullum mihi notum genus amandare poffum. Videntur ex eadem arbore effe, ex qua gummi illud; nam hoc in liquido ftatu fuit, quando fructus illos in fe fuscepit. In involucro albo, tenui, undique claufo, nec ulla cicatrice aut futura notato, hinc oviformi, fed minime fragili, fine ulla pulpa, continetur libere hærens nux ovata acuta dura rufa & forma nucis pruni, quæ arcte includit nucleum foris rufum & ftriatulum atque intus album. Tabula fiftit fructum illum oviformem, nucem, hujus fectionem transverfam, & nucleum.

125. PALMA ARGENTATA. *Jacq.* Tab. 43. Fig. 1.

Crescit in infulis Bahamenfibus, ibidem caudice alto, incolis dicta *King-Palmito* five Palma regia, atque etiam *Silver-Palmito* five Palma argentata. Ex feminibus ab hortulano aulico Francisco Boos exinde adlatis plures plantæ in horto Schönbrunnenfi fuerunt enatæ, quæ nunc feptimum & decimum ætatis annum agentes caudicem habent vix pedalem brachiumque bafi craffum, tectum adhucdum parte ftipitum inferiore, donata in utroque margine ciliis longis amplexantibus. Stipes tripedalis, inermis, firmus, erectiusculus, digitum bafi craffus, fupra planus, dorfo teres, junior fuperne lanugine abfcedente mollis, ultra frondem in centro prominens. Frons bipedalis, in umbellam flabelliformis, patentiffima, ultra medium fiffa & divifa in lacinias enfiformes acuminatas integerrimas plicatas & apice plerumque bifidas fed in junioribus lanugine preffe cohærentes, ad plicarum carinas utrinque lanuginofa, ad oras leviter, maxime vero ad dorfum pube argentea decumbente veftita, facie glabra & viridis. Ramenta inter lacinias nulla.

126. BIGNONIA. Tab. 43. Fig. 2.

Etiam hæc ex Caracas filiqua eft, folumque gerebat titulum *Bignoniæ fruticis alte fcandentis.* Siliqua eft compreffo-plana, linearis, acuta, glabra, octo uncias longa, quatuor lineas lata, membranacea, fusca, intus nitida. Semina plana, vix uncialia, fusca cum alis hyalinis & albis.

127. BIGNONIA. Tab. 43. Fig. 4.

Iterum alia filiqua ex Caracas cum titulo *Bignoniæ caule quadrangulari fcandente et ftipulis rotundatis.* Hæc filiqua eft linearis, recta, acuminata, plana, glabra, pedalis, unciam dimidiam lata, membranacea, fusca. Semina fusca, alata.

128. MIMOSA. Tab. 43. Fig. 3.

Plura hæc legumina ex Caracas miſſa fuerunt ſub titulo *Mimoſæ novæ arboreæ et inermis cum foliis bipinnatis.* Nec vivam nec ſiccam vidi; unde ſolum deſcribo legumen lineari - oblongum, vel enſiforme truncatum, planum, ſtylo ſuperſtite veluti mucronatum, incurvulum, ad tactum molliusculum, ad lentem tomento raro obductum, fuscum, interne nitidum colorisque ſtraminei, a ſex ad octo uncias longum, ſescunciam latum, uniloculare, bivalve. Semina plura, oblonga, plana, albida; quæ non germinarunt.

129. AMARYLLIS CILIARIS. *Linn. ſpec. pl. edit. 2. pag.* 422. Tab. 44. Fig. 1.

Bulbus ovatus, tunicatus, fuscus, biuncialis, inferne diametri ſescuncialis, ex baſi protuberante fibris albidis longis calamumque fere craſſis radicata. Folia duo, rariſſime tria, tandem pedem vel & ſesquipedem longa, plus minus ſemunciam lata, linearia, obtuſa, plana, flaccida totaque terræ incumbentia in oppoſitas partes, ſubtus maculis fuscis tota variegata, idque etiam ſupra inferne, ad oras minutiſſime dentata & denſiſſime ciliata pilis albidis, aliis verſus folii faciem, aliis verſus dorſum flexis, aliis recta protenſis, cæterum utrinque glabra. Quamvis a noſtris hortulanis aulicis numeroſi bulbi repetitis vicibus miſſi ex Promontorio bonæ Spei fuerint, foliaque hi quotannis apud nos produxerint vegeta, nullos tamen obtinuimus flores. Imo obſervarunt hic hortulani, bulbos omni anno imminui volumine ſine ulla ſobole, tandemque ſic perire. Fruſtra etiam ſe in ipſo natali ſolo ſive florentem ſive fructescentem bulbum quæſiviſſe, mihi aſſeruerunt.

130. JASMINUM VOLUBILE. *Jacq.* Tab. 44. Fig. 2.

Hujus ſtirpis, cujus figura & deſcriptio in Horti Schönbrunnenſis volumine tertio extant, in hac tabula ſolus repræſentatur fructus, quem tandem unum alterumve maturum dedit, ſcilicet bacca ſubrotunda atrocærulea & unico ſemine ſubrotundo fœta, dum obliteratur forte, quod in germine adfuerat, alterum.

131. CRASSULA PELLUCIDA. *Linn.* Tab. 44. Fig. 3.

Ante plures annos ex ſeminibus e Promontorio bonæ Spei acceptis germinarunt plantæ, quæ ex eadem radice plusculos emittebant caules herbaceos, procumbentes, vix ramoſos, ſemipellucidos, vix radicantes, pedales & ultra, ſolo apice bifido florigeros, foliis obtuſis remotisque ornatos; tam cæterum ſimiles Craſſulæ pellucidæ a Dillenio deſcriptæ, ut meram hujus varietatem credam; quare deſcriptione ampliore ſuperſedi, & ſolam exhibui figuram.

132. PHLOX SUBULATA. *Linn.* Tab. 44. Fig. 4.

Crescit in Virginia; florens apud nos in tepidario Aprili & Majo. Planta fruticoſa, ramoſa, diffuſa, proſtrata, folioſa; caule tereti calamumque craſſo, ramis junioribus villoſis & adſcendentibus. Folia ſunt oppoſita, ſeſſilia, linearia, integerrima, parvo mucrone pungentia, hirtula, rigidula, patentia, ſemuncialia; in quorum axillis fasciculi foliorum novorum, qui ramulorum rudimenta ſunt, exeunt. Pedunculi uniflori, terminalis & ad ſumma folia axillares, rubelli, unciales, pubescentes. Perianthium cylindricum, quinquepartitum ultra duas tertias partes, piloſum, erectum, decemſulcatum, perſiſtens; laciniis linearibus, acutis, ſulcatis. Corolla hypocrateriformis, purpurea; tubo incurvulo; limbi laciniis cuneiformibus, emarginatis, fere longitudine tubi, ſupra faucem ſanguineis. Et alia generis.

133. MIMOSA SIMPLICIFOLIA. *Linn. ſuppl.* Tab. 44. Fig. 5.

Ex ſeminibus enata apud nos ſæpiſſime fuit, ſed raro poſt paucos annos ad altitudinem tripedalem pervenit, quin ſine flore perierit. Hic ſiſto novellam plantulam cum cotyledonibus & primis foliis, tum legumen atque ſemen.

134. LEGUMEN. Tab. 44. Fig. 6.

Ex Caracas lineare, compreſſulum, acutum, glabrum, ſemipedale, uniloculare, firmum, fuſcum, inter ſemina depreſſum in iſthmos, ſed non articulatim diſcedens. Semina plura, reniformia, compreſſula, rufa; quæ non germinarunt, ut genus plantæ ignoremus.

135. ANNONA MICROCARPA. *Jacq.* Tab. 44. Fig. 7.

Solus fructus mihi cognitus eſt; ſed vel hoc ſolo ab omnibus congeneribus facile diſtinguitur. Perianthium perſiſtens & ſemitrilobum. Bacca turbinata, avellana nuce vix major, obtuſiſſima, pulpam continet, in quibus ſemina plura in orbem nidulantur oblonga, quæ non germinarunt. Fuſcus totus fructus eſt, veroſimiliter alius coloris recens. Creſcit in nova Hollandia.

136. CHRYSANTHEMUM ATRATUM. *Linn.* Tab. 44. Fig. 8.

Hæc illa pumila eſt planta, quæ Bellis alpina minor Botanicis antiquioribus vocabatur, & in Schneeberg Auſtriæ ſponte creſcit, quam Hallerus eandem ſpeciem cum Chryſanthemo Leucanthemo credit, ab hoc, ſolo habitu puſillo, & atrato calyce, diverſam. Ad ſpecimen ſilveſtre icon facta eſt.

137. HELIOCARPUS AMERICANUS. *Linn.* Tab. 45. Fig. 1.

Panicula maſcula arboris ſilveſtris cum foliis integris. Vide Hortum Schönbrunnenſem vol. 4. num. 450.

138. EUGENIA BALSAMICA. *Jacq.* Tab. 45. Fig. 2.

Ante quindecim annos hæc arbuſcula in hortum Schönbrunnenſem ex Jamaica ſub titulo Myrti balſamicæ adlata fuit; anno autem 1804 prima vice floruit Majo & Junio ſine fructu in caldario, Eugeniamque ſe declaravit. Truncus teres, erectus, ſtriatulus & hinc ad tactum ſcabriuſculus, fuſceſcens, brachium craſſus, una cum coma ramoſa decempedalis. Rami teretes, glabri, juniores ſtipulis minutis villoſisque præditi. Folia oppoſita, breviſſime petioatla, ovata, in acumen obtuſulum anguſtata, integerrima, ſubundulata, ſubtus punctata, nitida, ſubcoriacea, plus minus triuncialia. Pedunculi ramei, graciles, ſtricti, uniflori, patuli, ſolitarii, ſubvilloſi, plus quam ſemunciales. Calycis ſuperi foliola quatuor, ovata, acuta, concava, patentiſſima, dorſo ſubvilloſa. Petala quatuor, oblonga, obtuſa, concava, patentiſſima, calyce paulo longiora, pallida. Filamenta numeroſa, ſubulata, alba, petalis duplo longiora, patentia. Antheræ flavæ. Germen turbinatum, inferum, villoſulum. Stylus filiformis, erectus, albus, ſtaminibus longior. Stigma ſimplex. Siſtitur in tabula ramulus florens. Tota trita balſamici quiddam habet.

139. AEGIPHILA MARTINICENSIS. *Linn.* Tab. 46. Fig. 1.

Deſcriptionem amplam in Obſervationibus meis dedi cum addita figura plantæ ſilveſtris. Hic figuram do plantæ in horti Schönbrunnenſis caldario cultæ, ubi quotannis menſe Julio copioſe florere ſolet, ſed fructum nullum dedit. Eſt hic arbuſcula decempedalis. Floribus plerisque tetrandris plusculi immiſcentur pentandri cum corollis quinquefidis; pauciſſimi etiam hexandri. Corollæ tubus albet, limbus ſulphureus eſt. Antheræ flavent cum ſtriis badiis, effœtæ

nigrescunt. Germen ſuperne quadrilobum eſt. Paniculæ ampliores ſunt quam in ſilveſtri. Aucta adſtant flos & piſtillum.

140. BOERHAVIA VISCOSA. *Jacq.* Tab. 46. Fig. 2.

Ex America meridionali eſt. Apud nos in caldario floret primo vere & æſtate. Planta ſuffruticoſa, diffuſa, valde ramoſa; caule primario brevi & digitum craſſo; caulibus aliis ſive ramis teretibus, ſuffruticoſis, viscoſis, pubescentibus, bipedalibus & patentiſſimis, aliis brevibus & erectis vel adſcendentibus, alternis. Folia ſunt oppoſita, petiolata, obtuſa, ovata, rarius ſubcordata, integerrima vel repandula, viscoſa, craſſula, vix pubescentia, ſubtus pallida, ſine petiolis plus minus uncialia. Pedunculi axillares, viscoſi, unciales, plus minus ſenos flores umbellatim ſuſtinentes. Pedicelli breviſſimi, bracteolis minutis ſuffulti. Calyx nullus. Corolla campanulata, ſanguinea, limbo quinquelobo patentiſſimo, lobis emarginatis. Filamenta tria, ſanguinea, erecta, fere corollæ longitudine. Antheræ didymæ, flavæ. Germen oblongum, inferum, viscoſum, villis capitatis albis veſtitum, apice in quinque tubercula elevatum. Stylus ſitu, colore & longitudine filamentorum. Stigma capitatum, obtuſum. Semen figura germinis.

141. ARCTOTIS FLAMMEA. *Jacq.* Tab. 47. Fig. 1.

Eſt ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Majo & Junio. Caulis ſuffruticoſus, ramoſus, erectus, debilis, teres, duos tresve pedes altus, calamum craſſus, incanus. Folia alterna, per petiolum ſæpe ſeſſilem decurrentia, oblonga, obtuſula, ſerrato-dentata, tomentoſa, cinerea, ſubviscoſa, plus minus triuncialia. Pedunculi ramos terminant ſolitarii, uniflori, tomentoſi, erecti, ſemipedales. Flores odorati, diametri fere triuncialis. Calycis virentis ſquamæ exteriores breviores, lanceolatæ, & in acumen reflexum terminatæ; interiores nitidæ, ovatæ, obtuſæ, deſinentes in bracteam obtuſam, concavam, hyalinam, membranaceam. Corollulæ radii ligulatæ, lanceolatæ, obtuſæ, circiter vicenæ, flammeo-aurantiacæ, baſi atræ, tubo albo, fæmineæ, fertiles, ſtylo bifido, cum laciniis linearibus. Flores disci ſteriles, tubuloſi cum limbo quinquefido patente aurantiaco. Filamenta in tubo corollæ latent, antheris fuscis ex fauce leviter emergentibus. Stigma longum, cylindricum, fuscescens, elevatum, apice truncato-bifidum. Foliola calycina germini impoſita oblonga, obtuſa, erecta, circiter octona. Germen piloſum. Receptaculum piloſum. Siſtuntur in tabula ramus cum flore noctu clauſo, flos de die expanſus, & auctus flos disci.

142. ERIOSPERMUM? *Jacq.* Tab. 47. Fig. 2.

Plurimas hujus plantæ radices Georgius Scholl ex Promontorio bonæ Spei in ſua ibidem manſione Viennam transmiſit, quæ per plurimos jam annos optime habent, in caldario quotannis autumno nova folia emittunt, eademque primo vere iterum deponunt; flores autem nullos huc usque produxerunt, ut de illis nunc deſperemus. Hos, Schollius autopta mihi dixit, eſſe albos & ornithogalo vel antherico ſimiles; unde ſuſpicor, ad Erioſperma pertinere. Radix eſt perennis, ramoſa, ſubtuberoſa, carnoſa, teres, digitum vel calamum craſſa, fibris ſtipata. Folia cordata, vel ſubrotunda, acuta, integerrima, glabra, nervoſula, terræ incumbentia. Petioli teretes, intra terram longi, albidi, inferne vaginæ fuscæ incluſi.

143. CAPRARIA LUCIDA. *Aiton.* Tab. 48. Fig. 1.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Floret apud nos in tepidario Aprili & Majo, dein ſub dio fructescit Auguſto. Planta biennis, tota glabra, & trita fœtidula. Caulis ſesquipedalis, vix ramoſus, erectus, tetragonus. Folia oppoſita, lanceolata vel magis oblonga, acuta, argute ſerrulata, nitida, craſſula, baſi veluti in petiolum anguſtata alatum & amplexicaulem, inferiora majora plus quam triuncialia & unam unciam lata, ſumma vix uncialia. Pedunculi axillares in

foliis ſuperioribus, oppoſiti, tetragoni, ſemunciales, trifidi, triflori, ſæpe dein bifidi & biflori. In his bracteolæ ſubulatæ. Calycis fere ad baſin quinquepartiti laciniæ lanceolato-lineares, acutæ, erectæ, tubi corollæ longitudine, perſiſtentes. Corollæ hypocrateriformis & deciduæ tubus baſi gibbus, & dein parum recurvus. Limbus purpureus, ad faucem ex albo barbatus & macula atropurpurea inſignitus, quinquefidus, rarius quadrifidus; laciniis obverſe ovatis & emarginatis. Filamenta quatuor, breviſſima, in medio corollæ tubo. Antheræ albæ. Germen ſubrotundum, ſuperum, nitidum. Stylus brevis, craſſus. Stigma capitatum, obtuſum, vertice ſulco exaratum, fuſcum. Bacca globoſa, glabra, nigrescens, mollis, bilocularis. Receptaculum carnoſum diſſepimento affixum. Semina numeroſa, nigra, parva. Plantæ florenti adduntur in icone bacca, eadem tranſverſim ſecta, ſemen; & aucti corollæ tubus & ſtylus cum ſtigmate.

144. GLADIOLUS SECURIGER. *Linn.* Tab. 48. Fig. 2.

Bulbus ſubrotundus, piſo duplo major, albidus. Folia plura, longe vaginantia, plus minus ſemipedalia, lanceolato-linearia, acutula, integerrima, glabra, erectiuscula, lineata. Scapus teretiusculus, foliorum plus minus longitudine, erectus, penna columbina duplo gracilior, apud nos ſemper ſimpliciſſimus, ad flores flexuoſus. Flores ſeſſiles, plus minus quatuor, alternantes. Spathæ ad ſingulos bivalves, ovatæ, membranaceæ; exterior quadri-vel quinquedentata, interior bidentata. Corolla pallide fulva, uncialis & ultra. Tubus infundibuliformis. Limbus ſexpartitus, patens; laciniis ſubovatis, obtuſis, integerrimis, interdum aliqua emarginata; tribus ſuperioribus paulo anguſtioribus, notatis ſupra faucem macula flava & coronata ſemicirculo rubro, infra hanc emittentibus horizontaliter lamellam flavam. Antheræ lineares, pallidæ. Stigmata tria, linearia, alba, obtuſa, ſupra hiſpida, ſubtus glabra. Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Figura altera tabulæ exhibet totam plantam, laciniam unam corollæ, & auctas duas valvulas ſpathæ.

145. LITHOSPERMUM DISTICHUM. *Orteg.* Tab. 48. Fig. 3.

Crescit in inſula Cuba. Floret apud nos Majo & ſequentibus in caldario. Radix perennis. Caules annui, plures, erecti, pedales, calamum craſſi, teretes, hirſuti, ſcabri, toti folioſi, ex alis ſuperioribus ramoſi, intermedius longior & craſſior. Folia ſparſa, ſeſſilia, oblonga, integerrima, obtuſa cum parvo mucrone, ad oras revoluta, hinc fere bullata, marginibus ciliata, cæterum glabriuscula, ſescuncialia. Spicæ terminales ternæ cum flosculo ſolitario centrali, ab inferioribus ſucceſſive florentes, ſecundæ, revolutæ, ex foliolis floribusque in his axillaribus diſtichæ. Flores ſeſſiles, fœtidi. Calycis foliola lanceolata, acuta, ciliata, erecta. Corollæ albæ tubus longitudine calycis; limbus patentiſſimus, fauce flavus. Semina parva, nitida, dura, alba. Siſtuntur caulis florens, & ſpica fructescens.

146. SALVIA PINNATA. *Linn.* Tab. 49.

Planta biennis, tota hirſutiſſima, viscoſa, & odore balſamico gravi prædita. Caules plures, inferne adſcendentes, dein erecti, tetragoni, ſordide purpurascentes, ſesquipedales. Folia ſunt oppoſita, longe petiolata, pinnata, idque nonnunquam interrupte. Foliola ſubovata, acutula, magis minusve eroſe ſerrata, rugoſa, breviter petiolata, extimo reliquis multo majori. Racemus terminalis, verticillatus, ſemipedalis. Flores utrinque terni, pedicellati. Bracteæ ovatæ, acuminatæ, parvæ, deciduæ. Perianthium urceolatum, inflatum, ſtriatum, villoſum; ore truncato, erecto, bilabiato, labio ſuperiori minutim & breviter tridentato, inferiori bidentato. Corollæ tubus albus, interne villoſus, calyce multo gracilior. Limbus purpureus; galea erecta, emarginata, tota connivente & hinc compreſſa; labelli trifidi & multo majoris laciniis lateralibus parvis & reflexis, media ſubrotunda emarginata magnaque. Stamina alba, longitudine faucis. Stigma bifidum, acutum, patens; lacinia ſuperiore breviſſima. Semina ſubrotunda, nitida. Crescit in Oriente & Arabia.

147. MESEMBRYANTHEMUM GEMINATUM. *Jacq.* Tab. 50.

Ex ſeminibus Capenſibus enatum floruit quadrienne prima vice Aprili & Majo in tepidario horti Schönbrunnenſis. Totum glabrum, fruticoſum, debile, diffuſum. Caules duos tresve pedes longi, pennam columbinam craſſi, teretes, cinerei. Folia in ramulis junioribus oppoſita, triquetra, denſiſſime punctata, acuta, glaucescentia, ſubbiuncialia, adultiora ad tactum nec ad oculum ſæpe in angulis aſperiuscula, connata cum vagina utrinque ſulco exarata, ut crederentur folia diſtincta. Pedunculi uniflori, erecti, unciales, circa medium duabus bracteis lanceolatis acutis punctatis oppoſitis erectisque veſtiti; ex penultimis foliis axillares & oppoſiti; ex ſummorum ſinu gemelli terminales, nonnunquam cum tertio intermedio; ut ſint pedunculi bis geminati, ſed uti ſuperat interdum aliquis, ſic contra in aliis ramulus unus alterve deeſt. Calycis pentaphylli foliola ſubovata, acuta, æqualia, punctata. Petala linearia, obtuſa, purpurea, calyce paulo longiora. Filamenta ſubulata, medio purpurea, cæterum alba, in cylindrum denſum erecta. Antheræ oblongæ, erectæ, pallidæ. Stigmata quinque.

148. MESEMBRYANTHEMUM ADUNCUM. *Jacq.* Tab. 51. Fig. 2.

Ex ſeminibus Capenſibus enatus frutex tripedalis, diffuſus, quaquavorſum dejectus, partim etiam erectus, florens primo vere in tepidario. Truncus & rami ſeniores teretes, glabri, cinerei, calamum craſſi. Rami juniores teretiusculi, glabri, virides, ſæpius oppoſiti. Folia oppoſita, baſi connata, triquetra cum angulis acutis & cartilagineo crenulatis idque in adultis obſoletius, acuta, adunca vel tota magis recurvata, glaucescentia, ad lentem undique punctis elevatis notata, carnoſa, patentiſſima, longiora quadriuncialia. Pedunculi terminales, uniflori, ſolitarii vel plusculi, erecti, unciales, circa medium duobus foliis minoribus erectis naviculari-bus ovatis acutisque ceu bracteis inſtructi. Flores diametri uncialis. Calycis quinquefidi foliola ovata, acuta, erectiuscula, ad oras vix membranacea. Petala lanceolato-linearia, acuta, patentiſſima, rubella. Stigmata quinque.

149. MESEMBRYANTHEMUM RAPACEUM. *Jacq.* Tab. 52. Fig. 1.

Totum glabrum & glaucum. Radix tuber perenne, ramis auctum, fuscum, teres, carnoſum, pollicem craſſum, ſescunciale, perpendiculare. Caulis unus alterve, totus annuus, herbaceus, teres, ſubarticulatus, pennam columbinam craſſus, ramoſulus, pedalis, debiliſſimus, hinc fere totus decumbens. Folia ſunt diſtinctiſſima, oppoſita, ſubteretia, obtuſa, punctata, carnoſa, ſubuncialia, craſſitie ramorum, patentiſſima. Pedunculus terminalis, aliique ex foliorum ſuperiorum alis ſolitarii & alternantes, uniflori, in decurſu ornati uno alterove foliorum pari, ſuperne incraſſati in germen turbinatum. Calycis foliola quinque, oblonga, acutula, erectiuscula, modo æqualia inter ſeſe omnia, modo longitudine diverſa. Petala numeroſa, linearia, nivea, obtuſula, calyce paulo longiora, patentiſſima. Filamenta ſubulata, alba, patula, corolla breviora. Antheræ oblongæ, flavæ. Germen pentagonum, punctatum. Styli quinque, flavi, ſublineares, patentiſſimi. Enatum in horto Schönbrunnenſi ex ſeminibus Capenſibus Schollianis. Floret à Majo ad Julium.

150. MESEMBRYANTHEMUM VIRIDIFLORUM. *Aiton.* Tab. 52. Fig. 2.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos floret a Majo ad Julium. Planta fruticoſa, debiliſſima, ut ſuſtinere ſe nequeat, hinc decumbens; caule ramisque ſenioribus glabris, cinereis; junioribus virentibus, nitentibus, papuloſis, hirtisque ad lentem pilis breviſſimis. Folia oppoſita, leviſſime connata, ſemiteretia, obtuſula, pulpoſa, ſaturate virentia, nitida & micantia, plus minus unciam longa, in angulis ciliatula ad lentem, foveolis ovalibus punctata, in ramis junioribus non florentibus erecta & imbricata, in aliis patula & remota, ad pedunculos ſæpe alterna, unciam aut ſescunciam longa. Pedunculi terminales & ex ſuperioribus foliis axil-

lares, folitarii, uniflori, teretes, virides, pennam columbinam craffi, papulofi, nitidi, eoque denfius hirti, quo propius flori. Calyx valde hirtus, eodemque modo papulofus five punctatus, faturate viridis, quinquefidus; foliolis corolla brevioribus, inæqualibus, oblongis, tribus membranula auctis. Petala numerofa, fere fetacea, pallidiffime virentia; interiora breviora, faturatius colorata, & erecta. Stamina pallida, breviffima, a petalis occultata. Germen ovatum, hirtum. Styli quinque, erecti, breves. Stigmata fimplicia. Figura repræfentat ramum florentem & auctam folii partem.

151. MESEMBRYANTHEMUM TENUIFLORUM. *Jacq.* Tab. 52. Fig. 3.

Hoc etiam ex feminibus Capenfibus ortum tantam cum præcedenti & ftructura & habitu fimilitudinem habet, ut hæferim dubius diu, an fpecie disjungerem. Quare fuperfedere defcriptione poffum, quæ plane coincidit, modo discrimina, quæ fufficere ad diftinguendum credo, adferam. Folia in hac fpecie longiora funt, recurvata femper, nec unquam recta & imbricata ulla. Calycum foliola longitudine corollam fuperant. Hæc purpurea nec viridis eft. Infigne autem discrimen obfervavi in florendi mora. Viridiflori corollæ, femel expanfæ, nunquam deinceps clauduntur, five vefpera, five noctu, five tempeftate nebulofa, fed conftanter expanfæ manent per plurimos dies, donec marcescant. Hujus autem tenuiflori corolla quotidie ante vefperam clauditur, & mane iterum explicatur.

152. MESEMBRYANTHEMUM MULTIRADIATUM. *Jacq.* Tab. 53. Fig. 1.

Frutex pedalis, ramofus, erectus, totus glaber; caule adulto tereti, cinereo; ramis junioribus compreffulis, ex viridi rubentibus. Rami oppofiti, patuli. Folia oppofita, diftincta, punctata, glauca, triquetra, acuta, carnofa, fæpe incurvula, dorfo obtufulo, patula, uncialia. Pedunculi uniflori, terminales, folitarii, vel gemelli, vel terni, erecti, teretes, a duabus ad quatuor uncias longi, circa medium plerumque inftructi duobus foliis oppofitis loco bractearum. Calycis foliola quinque, lanceolata, acuta, concava, fubæqualia, petalis multo breviora, quorum duo ad oras membranacea. Petala plus minus uncialia, numerofa, linearia, emarginata, patentiffima, plurium ordinum, intima anguftiffima & integerrima, omnia carnea. Filamenta fubulata, alba, patentia, brevia. Antheræ flavæ. Germen turbinatum. Styli quinque, flavescentes, in ftellam patentes. Crescit in Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Majo & Junio.

153. MIMOSA LANCEOLATA. *Jacq.* Tab. 53. Fig. 2. & Tab. 54.

Arbuscula apud nos quadripedalis, erecta, tota glabra; trunco tereti, digitum minimum craffo, fuscescente; ramis virgatis. Folia fparfa, fimplicia, lineari-lanceolata, integerrima, acutula, breviffime petiolata, avenia, fubcoriacea, obfolete binervofa, longiora femipedalia, patentia. Spicæ axillares, folitariæ vel gemellæ, plus minus unciales, erectiusculæ, multifloræ. Flores feffiles, hermaphroditi, parvi, toti flavescentes, odorati. Perianthium breve, cyathiforme; ore quadridentato, ciliato, obtufulo. Corolla monophylla, quadripartita, calyce multo longior; laciniis ovatis, obtufulis, reflexis. Filamenta numerofa, corollam parum fuperantia, erectiuscula, fubulata, diftincta. Antheræ erectæ, didymæ. Germen ovatum, hirfutum. Stylus filiformis, ftaminibus paulo longior. Stigma fimplex. Fructum & patriam ignoro. Floret apud nos in caldario primo vere; æftatem agens fub dio. Tabula 54 fummitatem plantæ florentis repræfentat; auctaque perianthium, florem integrum, ftamina & piftillum. Tabulæ 53 figura fecunda plantulam cum primis fuis foliis, qualem hortulanus egregius horti noftri botanici Georgius Schott attulit.

154. DOLICHOS SANGUINEUS. *Jacq.* Tab. 55.

An vere diverſus a Dolicho Linnæi purpureo? Caulis, rami, petioli, foliorum venæ dorſales, ſtipulæ, pedunculique colore ſanguineo gaudent. Caulis annuus, volubilis, teres, ramoſus, quinquepedalis. Folia ſunt alterna, ternata. Petiolus communis parum pubescens, vel glaber. Proprii pubescentes. Foliola cordato-ovata, acuta, integerrima, venoſa, glabra, triuncialia. Stipulæ lanceolato-lineares, patentes. Pedunculi terminales & axillares, foliis longiores, racemoſi, ſubpubescentes. Flores ſuaveolentes, breviſſime pedicellati, ſuffulti bracteolis, bini ternive ex eodem puncto. Sæpius in principio ſoli bini florent, & dum jam horum legumina debitam magnitudinem adepta ſunt, demum tertius evolvitur. Bracteolæ geminæ etiam calyci directe ſubjiciuntur, oppoſitæ, ovatæ, acutæ, glabræ, concavæ, nitidæ, calycis longitudine. Perianthium compreſſum, campanulatum, bilabiatum, breve; labio ſuperiori integro, inferiori bidentato. Corolla rubro-violacea. Vexillum ſubrotundum, emarginatum, latum, patentiſſimum, callo albo. Alæ rotundatæ, horizontaliter patentes. Carina ad angulum rectum falcata, oblonga, connivens, deſinens in roſtrum calloſum album, longitudine vexilli. Stamina diadelpha. Stylus craſſus, ſuperne ſubtus villoſus. Stigma obtuſum. Legumen immaturum ovato-acinaciforme, ſutura utraque cartilagineo-crenulatum, ſtylo perſiſtente mucronatum; maturum coriaceum, contractum, ad ſemina toroſum, ex fusco cinereum. Semina ſubovata, fusca, cum hilo arcuato verſus alteram extremitatem alboque. Patriam ignoro. Crescit apud nos in caldario & ſub dio, floretque æſtate. Exhibet tabula ramum florentem, racemum adultum, calycem cum genitalibus, legumen maturum, & ſemen.

155. NICOTIANA UNDULATA. *Vent. malm.* Tab. 56.

Crescit ad Portum Jackſon in Nova Hollandia. Apud nos ſub dio floret a Majo ad Auguſtum, hiemem agens in tepidario. Radix fuſiformis, cinerascens, perennis. Caulis annuus, teres, erectus, bipedalis & ultra, baſi fere digitum minimum craſſus, inferne hirſutus; ſuperne glaber, ex omnium fere foliorum axillis ad angulum acutiſſimum emittens ſucceſſive ramum ſerius florentem. Folia alterna, integerrima, craſſula, lanceolata, acuta, ſubundulata, utrinque maxime ad nervum medium hirſutula, infima approximata obtuſula & majora, reliqua remota, per petiolum brevem decurrentia, fere ſeſſilia. Caulis & rami in pedunculos racemoſos elongantur, parum folioſos. Pedicelli pauci, breves, pubescentes. Flores propendulo-patentes, interdiu leviter, noctu valde ſuaveolentes. Perianthium inferum, ſemiquinquefidum, pubescens, erectum, viscoſulum, perſiſtens; laciniis lanceolatis, acutis. Corollæ hypocrateriformis tubus cylindricus, quinqueſtriatus, pubescens, deorſum incurvatulus, calyce fere triplo longior, ſubpurpurascens. Limbus obſcure bilabiatus, intus lacteus, foris ſimul leviſſima purpura ſuffuſus, tubo duplo brevior, profunde quinquefidus, patentiſſimus ſic ut duæ laciniæ ſuperiores, paulo minores, tubo ad dorſum incumbant, tres reliquæ in eadem cum tubo directione antrorſum protendantur; omnes obverſe cordatæ, amplæ, in medio ſubtus nervo virente carinatæ, hinc intus ſulcatæ & ſubplicatæ. Faux aperta. Filamenta quatuor, breviſſima, in fauce corollæ poſita, inde adnata decurrentia per tubum ad inferiorem partem usque; quorum duo pauxillo longiora, interdum ſubæqualia. Quintum filamentum filiforme ex eadem tubi inferiore parte oritur, totum a tubo liberum, baſi incurvatulum, cæterum erectum, tubo brevius. Antheræ in omnibus erectæ, fuscescentes, ſubdidymæ. Germen ovatum, acutum, glabrum. Stylus filiformis, fauce corollæ paulo longior. Stigma capitatum, obtuſum, emarginatum. Capſula calyce tecta, ſubovata, obtuſa, glabra, fusca, inferne bilocularis, ſuperne unilocularis, bivalvis valvulis acutis & apice bifidis. Diſſepimentum membranaceum, receptaculo ſeminum conico affixum, valvulis contrarium, receptaculo fere duplo brevius. Semina numeroſa, parva, reniformia, fusca. Sub ſupra dicto titulo ſemina ex pluribus regionibus accepimus; ſed videtur mihi planta potius ad Didynamiæ claſſem pertinere, Buchneris vicina, forte novi generis. In tabula ſiſtuntur fere tota planta florens; tum ſeorſim corollæ tubus ſectus & expanſus cum ſtaminibus, piſtillum,

calyx fructiger, capſula calyci exempta, diſſepimentum cum receptaculo, ſemen; aucta etiam pars ſtyli cum ſtigmate, ſemen, & diſſepimentum cum receptaculo.

156. SOPHORA TETRAPTERA. *Linn.*

Creſcit in Nova Zelandia. Apud nos arbor jam duodecimpedalis ſub dio floret copioſe Majo, fructeſcit Julio & Auguſto, hiemem agens in tepidario. Truncus erectus, duas uncias cum dimidia æquans diametro, teres, totus ramoſus. Rami ſparſi, glabri, cinerei, patentes, numeroſi. Folia alterna, pinnata cum impari, tota ad lentem villoſula. Coſta a tribus ad quinque uncias longa, antice ſulco exarata. Foliola utrinque a novem ad tredecim, oblonga, vel ovato-oblonga, vel etiam obverſe ovata, emarginata, cæterum integerrima, modo oppoſita, modo alterna, omnium breviſſime petiolata, uncialia vel ſeſcuncialia, hieme decidua. Pedunculi communes axillares ex cicatricibus foliorum præteritorum, ſolitarii, craſſuli, racemoſi, plus minus unciales. Pedicelli teretes, ſeſcunciales, ferrugineo-tomentoſi, una cum floribus penduli. Perianthium cum virore ferrugineum, monophyllum, campanulatum, inflatum, breve, baſi ſuperne gibboſulum cum limbo ibidem fiſſo, hinc antrorſum progreſſo & obtuſe quinquedentato. Corolla papilionacea, cum levi ſuffuſo virore lutea, pentapetala. Vexillum late oblongum, obtuſum, connivens, erectum, unguiculatum, alis paulo brevius. Alæ oblongæ, concavæ, obtuſæ, erectæ, ſeſcunciam longæ. Carina dipetala, figura ſitu ac longitudine alarum. Filamenta decem, diſtincta, parallela, ſubulata, longitudine carinæ, intra quam recondita, alterna paulo breviora. Antheræ oblongæ, obtuſæ, incumbentes, aurantiacæ. Germen lineare, compreſſulum, villoſum. Stylus ſubulatus, ſitu ſtaminum. Stigma ſimplex, obtuſum. Legumen cinereum, tres quatuorve uncias longum, glabrum, ad ſemina iſthmis interceptum contractumque, ſutura utraque in marginem excurrente gemellum, hinc quadrialatum. Semina plura, oblonga, teretiuſcula, glabra.

157. CASSIA PUBESCENS. *Jacq.* Tab. 57.

Hæc arbuſcula per plurimos jam annos in horto botanico Vindobonenſi læte vegetat, floret quotannis a Decembri ad Martium, ſed necdum fructum perfecit, qui ad quadriuncialem longitudinem ſæpe pervenit. Patria ignoratur. In caldario jam truncus ſeptempedalis, pollicem craſſus, glaber, ſuperne ramoſus. Rami juniores teretes, ſtriatuli, vix manifeſte pubeſcentes. Folia alterna, trijuga, quadrijuga, vel quinquejuga, idque ſine ordine certo. Coſta plus minus ſemipedalis, ſupra baſin gerens glandulam clavatam & erectam, patentiſſima. Foliola lanceolata, acuminata, integerrima, breviſſime petiolata, retrorſum ſubfalcata, utrinque & ad oras pubeſcentia, extima majora, longiſſima ferme triuncialia. Stipulæ lanceolato-lineares, acutæ. Racemus terminalis, compoſitus, multiflorus, erectus. Calycis obſolete ad lentem pubeſcentis foliola quinque, ovata, obtuſa, concava, inæqualia, pallide virentia. Petala quinque, calyce duplo longiora, inæqualia, obverſe ovata, obtuſa, patentiſſima, flava. Filamenta decem, petalis breviora. Germen ad lentem pubeſcens. Et alia, uti in charactere Linnæano. Legumen lineare, anguſtum, compreſſum, ad lentem pubeſcens, polyſpermum.

158. CASSIA BICAPSULARIS. *Linn.* Tab. 58.

Creſcit in inſulis Caribæis. Apud nos floret in caldario menſibus Majo & Junio; ſed fructu caret. Tota glabra. Truncus pollice craſſior, teres, fuſceſcens, erectus, ramoſus, duodecimpedalis. Folia alterna, omnia trijuga. Coſta biuncialis, inter infima duo foliola gerens glandulam teretem obtuſam erectamque, patentiſſima. Foliola ſubovata, obtuſiſſima cum exiguo mucrone, integerrima, ſubtus glauceſcentia, extima uncialia, inferiora ſucceſſive minora, breviſſime petiolata. Stipulæ ſetaceæ, minutæ, deciduæ. Racemi ſimplices, axillares, foliorum plus minus longitudine, patuli. Calycis foliola corollæ concoloria, ovata, obtuſa, concava,

inæqualia. Petala calyce duplo longiora, obverfe ovata, obtufa, lutea, patentiffima, fubæqualia. Genitalia, ut in charactere Linnæano.

159. SILENE HISPANICA. *Jacq.* Tab. 59.

Radix gracilis, annua. Caulis ramofus, erectus, teres, afperiusculus, hirtulus, plus minus pedalis, pennæ columbinæ craffitudine. Rami hirfutuli. Folia oppofita, feffilia, angufte lanceolata, acutula, integerrima, craffula, fragilia, inferiora glabriuscula & biuncialia, reliqua magis hirta ciliata & fucceffive minora. Flores racemofi, fecundi, pedicellis brevibus infidentes, bracteola fuffultis fingulis parva lanceolata hirfutaque, patuli. Calyx clavatus, decemfulcatus, pallidus, femipellucidus, angulis virentibus & hifpidulis. Petalorum laminæ profunde bifidæ, patentiffimæ, purpureæ cum coronula albida femibifida & obtufa. Ungues albi una cum genitalibus inferuntur columnæ ex fundo calycis ortæ, in fructu quinquefulcatæ. Filamenta hirfutula, alterna breviora. Antheræ pallide flavescentes. Styli pubescentes. Capfula ovata, obtufa, nitida. Crescit circa Malagam in Hifpania.

160. SALVIA CRASSIFOLIA. *Jacq.* Tab. 60.

Patriam ignoro. Apud nos æftatem agit fub dio, floretque Junio & Julio; hiemem in tepidario. Radix perennis. Caulis annuus, duos cum dimidio pedes altus, terminatus racemo pedali, calamum & ultra craffus, vix ramofus, erectus, inferne teretiusculus, fuperne tetragonus, per totam longitudinem remote foliofus, fcabriusculus, hirfutus, viridis. Folia oppofita, bafi cordata, elongate oblonga, obtufula, obfolete crenata vel dentata, villofa, utrinque rugofa, virentia, dorfo pallidius, afperiuscula, craffula, reclinata vel oblique revoluta, majora femipedalia. Petioli longitudine foliorum, hirfuti, fcabri, patentiffimi. Flores verticillati, utrinque terni, patentiffimi, innixi pedicellis fere uncialibus villofis & patulis. Bracteæ feffiles, cordatæ, acuminatæ, fubintegerrimæ, varie reflexæ, virides, villofulæ, denfe ciliatæ. Calyx campanulatus, compreffus, ftriatus, hirfutus, viridis, viscofus, bilabiatus; labiis divaricatis, fuperiori tridentato cum dente medio minori, inferiori bidentato, dentibus omnibus mucronatis. Corollæ tubus eft cylindricus, calyce brevior, & albus. Galea magna, fubfalcata, compreffoplana, emarginata, dorfo ipfo villofa, cæterum glabra, erecta, cærulea. Labium inferius trilobum, minus & patulum; laciniis lateralibus oblongis, obtufis, cæruleis; intermedia fubrotunda & fordide flavente five ochracea. Genitalia generis. Semina glabra.

161. ALOË SERRA. *Plant. grafs.* Tab. 61.

Ex Promontorio bonæ Spei eft. Apud nos floret Majo & Junio; fructescit Augufto. Tota glabra. Planta fucceffive & tarde caulescens, in horto botanico cum caule jam unciæ longitudine & diametri. Folia plurima, imbricatim in orbem expanfa & patentiffima, interiora juniora pro more erecta, lanceolata, acuminata, craffa, pulpofa, faporis amari ac ingrati, glauca, rigida, adulta femipedalia; margine armata aculeis validis, ex lata bafi acuminatis, cartilagineis, albis, patentiffimis, fummis fæpe verfus faciem folii erectis; dorfo aut tota inermia, aut verfus apicem aculeis paucis inftructa. Scapus axillaris, tandem tripedalis, erectiusculus, fuperne longe racemofus, fere digitum minimum craffus, compreffulus, imprimis inferne, totus denfe veftitus fpathis ovatis acutis amplexicaulibus membranaceis latis. Pedunculi uniflori, erecti, unciales. Flores nutantes, fescunciales, calamum craffi, obtufe triangulares. Corollæ hexapetalæ. Petala fublinearia, acuta, concava, erecta, apicibus virentia, tria exteriora rubella, tria interiora pallida. Filamenta fex, fubulata, declinata, corollam parum fuperantia, receptaculo inferta, cum virore pallentia. Antheræ oblongæ, incumbentes, rubræ. Stylus ftaminibus paulo longior. Capfula oblonga, obtufa, erecta, trilocularis, trivalvis. Semina numerofa, oblonga, angulata, nigra. Corolla emarcida folet capfulæ etiam maturæ inhærere.

162. ALOË PANICULATA. *Jacq.* Tab. 62.

Planta elegans, in horto Schönbrunnensi ex semine Capensi enata, jam octennis, necdum caulescens, floret Junio & Julio, & semina Septembri perficit matura; tota glaberrima. Folia plura, in orbem orta, lanceolata, acuta, radicalia, integerrima, quædam inferne ad marginem incomplete cartilagineo-dentata, lineata, glauca, pedem longa, tres uncias lata, dimidiam unciam inferne crassa, pulposa, amara & ingrata, rigida. Scapus centralis, bipedalis, digitum crassus, hinc convexus, inde planus, glaucus, erectus, in plures ramos patentes ampliter paniculatus. Spathæ ad ramos & ramulos latæ, amplexicaules, geminæ, oppositæ; ad pedicellos lanceolatæ, acutæ. Pedicelli uniflori, teretes, semunciales, erecti, ex flavo rubelli. Flores inodori, unciales, cylindrici, recti, rubelli cum apice virescente, pendulini. Corolla monopetala, apice sexfida; laciniis oblongis, obtusis, erectis. Filamenta sex, subulata, erecta, petali longitudine, receptaculo inserta, pallide flavescentia. Antheræ oblongæ, erectæ, aurantiacæ. Germen superum, oblongum, sexsulcatum, obtusum, nitidum. Stylus filiformis, petalo longior. Stigma obtusulum. Capsula oblonga, obtusa, glabra, fere digitum minimum crassa, uncia paulo brevior, obtuse hexagona, trilocularis, trivalvis. Semina plurima, oblonga, acuta, angulata, nigra.

163. CLAYTONIA PERFOLIATA. *Wilden.* Tab. 51. Fig. 1.

Crescit in America boreali. Apud nos sub dio floret Julio & Augusto. Planta annua & tota glabra. Ex radice fibrosa exeunt caules plures, pluraque folia radicalia. Hæc sunt longe petiolata, rhombeo-ovata, integerrima, ad tactum veluti pinguia, acutula, ad lucem nervulis pluribus subcutaneis percursa. Caules debiles, virides, a quinque ad novem uncias longi, fere pennam columbinam crassi, apice terminati foliis duobus oppositis, late subrotundis, acutulis, magis minusve connatis, idque nonnunquam difformiter, radicalibus non absimilibus, cæterum plane aphylli. Ex sinu horum foliorum pedunculi egrediuntur plusculi, raro unicus dein subdivisus; aut illi ad ortum, aut hic ad divisionem instructi bractea lanceolata breviterque petiolata; tandem sæpe longe racemosi & erectiusculi; flores enim mutuo succedunt. Calycis diphylli foliola sunt ovata, obtusa, concava & virentia. Petala quinque, ovata, obtusa, alba, patentissima, calyce paulo longiora, plana, integra, in pedicellum basi angustata, cui filamenta innascuntur. Stigma trifidum, patens. Capsula rotundata, unilocularis, trivalvis. Semina tria, subrotunda, compressa, atra, nitida.

164. BIGNONIA. Tab. 63. Fig. 1.

Bignoniæ novæ titulus solus erat fructibus adjectus, missis ex Caracas, quorum semina haud germinarunt. Scilicet siliqua sesquipedalis, linearis, recta, obtusula, plana, glabra, fusca, ferme unciam lata. Semina numerosa, utrinque obtuse & rotundate alata, sic biuncialia, tota ex flavo fuscescentia.

165. ECKEBERGIA CAPENSIS. *Linn.* Tab. 63. Fig. 2.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Apud nos hiemem transigit in tepidario, & floret quotannis sub dio mense Augusto, sed fructum non tulit, cum flores brevi decidunt. Unica, quæ in horto Schönbrunnensi colitur arbor, ipsa huc ex Africa est translata, nunc decempedalis cum trunco brachium crasso. Folia elapsi anni demum perdit mense Martio, quando in elongatis supra hæc caule & ramis jam nova adsunt. Sunt hæc alterna, pinnata cum impari, petiolata, glabra, patentissima. Costa teres, fere calamum crassa, purpurascens, a sex ad octo uncias longa. Pinnæ utrinque plus minus sex, breviter petiolatæ, oblongæ, acuminatæ, integerrimæ, undulatæ, nitidæ, facie saturate virides, dorso pallidiores cum nervo principe petiolisque purpurascentibus, patentissimæ, intermediæ longiores triunciales. Paniculæ axillares, plus minus

biunciales, erectæ. Pedicelli breves, hirſutuli. Perianthium monophyllum, inferum, ad lentem tomentoſulum, parvum, quinquedentatum, obtuſum, viride, campanulatum. Petala quinque, oblonga, acuta, patentiſſima, plana, tandem reflexa, albida, calyce multo longiora. Nectarium annulus germen cingens. Filamenta decem, ſubulata, nectarii margini inſerta, patula, vix pubescentia, fere longitudine corollæ, alba. Antheræ ovatæ, erectæ, flavæ. Germen ſuperum, immerſum nectario. Stylus quinqueſulcatus, brevis. Stigmata quinque, ſimplicia. Fructum non tulit. In tabula repræſentantur folium, flos; aucta flos integer, perianthium & piſtillum cum annulo nectarii. Batavi Capenſes vocant hanc arborem Eſſenboom ſive Fraxinum.

166. EUCLEA RACEMOSA. *Linn.* Tab. 63. Fig. 3.

Tandem etiam Euclea fæmina flores una dedit, ſed nondum fructum; quare & hujus ramulum florentem in hac tabula propono ſimul cum aucto flore, utrinque conſpecto; uti marem antea exhibui in hujus operis tabula prima. Perianthium eſt monophyllum, quadrifidum, viride; laciniis ſemiovatis, acutis, patentibus. Petala ſunt quatuor, ſubovata, rotundata, patentiſſima, calyce triplo longiora, alba. Filamenta decem, breviſſima, erecta, alba. Antheræ oblongæ, erectæ, flavæ, magnæ.

167. HELIOPHILA AMPLEXICAULIS. *Linn.* Tab. 64. Fig. 1.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei, a Thunbergio detecta, annua planta, ſapore prædita naſturtii, tota glabra, & tenella. Apud nos ſub dio floret Julio & Auguſto, ſemina perficiens Septembri. Caulis erectus, pedalis, vix pennam columbinam craſſus, teres, ramoſulus. Folia ſunt oppoſita, amplexicaulia, oblonga, integra, acuta, nervoſula, vix venoſa, glaucescentia, patula, plus minus ſescuncialia, ſuprema in ramulis nonnunquam alterna. Corymbi terminales, erecti, multiflori. Pedicelli ſemunciales, graciles. Calycis foliola lanceolato-linearia, concava, obtuſa, patentiſſima, glauca, ad oras verſus apicem per lentem ex albo membranacea, decidua. Petala oblonga, obtuſa, plana, calyce longiora, patentiſſima, alba, marcescendo rubella & concava. Glandula viridis cuilibet filamento breviori ad baſin adnata eſt. Stamina tetradynama. Germen teres. Stylus brevis. Stigma ſimplex, obtuſum. Siliqua compreſſa, moniliformis, glabra, ſubuncialis.

168. THEOPHRASTA PINNATA *Jacq.* Tab. 65. 66. & 64. Fig. 2.

Tres hujus elegantiſſimæ ſpeciei arbusculas anno 1788. ex Caracas hortulani Cæſarei attulerunt, ad Theophraſtæ genus has pertinere aſſerentes, quarum mihi videre fructificationem haud contigit. In caldario calidiſſimo lætiſſime adhucdum vegetant, una quadripedalis, altera ſeptempedalis, tertia, ante duos annos ad novem altitudinem pedum evecta, caldarii laquear attigerat, hinc forte contracto vitio ad tres pedes verticem ſuum tabe perdiderat, quo ſanato nunc paullo demiſſius ramum novum protrudit. Nam truncus ſtricte erectus folia quotannis ſua omnia deponit, ex apice novum foliorum erectorum fasciculum promit, quæ ſucceſſive evolvuntur, & tandem horizontaliter ac frondoſe patent, ſuum ſua vice caſum expertura. Iſtiusmodi fasciculus, foliis adultis adhucdum ſtipatus, conſpicitur in tabula 65, ubi omnia imminuta delineantur. Sed antequam ſic patescunt, & virorem, firmitatem ſolitamque magnitudinem adipiscuntur, coſtæ omnes, in fasciculum veluti collectæ, ſtant erectæ, dum pinnæ flaccidæ, coctis ſimiles, uti in Brownæis, & magis minusve rubellæ pendent a petiolis ſuis, eleganti ſane & ſingulari ſpectaculo, uti ex tabula ſexageſima ſexta in naturali magnitudine videre eſt. Sed præterea ante hujus fasciculi exortum alius diverſiſſimus fasciculus apicem caulis terminat, plurium ſcilicet ſtipularum pinnatarum, virentium, aliquot uncias longarum, erectarumque, quarum duæ ex majore planta alia in eadem tabula ſiſtuntur, & quæ per unum alterumve annum cum

foliis jam adultis prioris anni aut infra hæc ſæpe perſiſtere ſolent, vel jam fere emarcida. Truncus teres, ſcaber, baſi ſescunciam diametro æquans. Rami nulli. Folia glabra, pinnata, ſæpius undecimjuga, frondoſa. Coſta teres, in ſetam terminata, in folio adulto ſtricte patentiſſima, calamum craſſa & bipedalis. Foliola modo alterna, modo oppoſita, petiolis brevibus teretibusque affixa, lanceolata, cuſpidata, integerrima, undulata, coſtata, nitida, in adultis foliis expanſa, inferiora ſemipedalia, ſuperiora duplo longiora; cuſpide ſæpius oblique torta. Talia foliola in magnitudine naturali figura ſecunda tabulæ quartæ & ſexageſimæ monſtrat.

169. PASSIFLORA MULTIFORMIS. *Jacq.* Tab. 67. Fig. 1.

Ex Caracas anno 1788. adlata fuit. In caldario læte vegetat. Caulis nunc pollicem craſſus, decempedalis, cinerascens, teres, fruticoſus, ramoſus. Folia glabra, aut cordata & ſimpliciſſima, aut triloba, aut tantum in uno latere lobata, idque modo iisdem in ramis, modo in diverſis ſingula, acuminata, minutiſſime ſerrata, ſubtus rugoſula, baſi cordata; lobis ovatis medio longiori, in ipſis ſinubus aut in margine paulo altius callo inſtructa, longiſſima fere pedalia, alia longe breviora. Petioli teretes, unam vel duas uncias longi, circa medium duabus glandulis alternantibus inſtructi, ſubrotundis & concavis. Cirris longis ſcandit. Florem non tulit.

170. ZERUMBET SPECIOSUM. *Wendl.* Tab. 68.

Crescit in India Orientali. Tota planta aromaticum Zingiberis odorem ſpirat, ſapore tamen prædita vix ullo. Radix perennis conſtat congerie indigeſta tuberum varie connatorum, pollicem & ultra craſſorum, intus ſolidorum & ex carne dura atque albicante conſtantium, foris a primorum foliorum detritorum cicatricibus circularibus inæqualium. Ex his ſingulis culmus attollitur teres, tandem a quinque ad ſex pedes altus, inferne pollicem craſſus, erectus, glaber, totus folioſus, apice in racemum nutantem terminatus. Folia alterna, breviter petiolata, longe lanceolata, cuſpidata, lineata, glabra, oris ad lentem pilis accumbentibus rigidulisque ciliata, hinc retrorſum ſcabra, longiora duos pedes ſuperantia & quatuor uncias lata. Petiolus oritur ex dorſo vaginæ infra apicem, arcte culmum ambientis, & ex ipſa radice trahentis originem, unde vagina folii ſummi ſive intima longitudinem ipſius culmi habet. In centro harum omnium locatur medulla firmior, calamum craſſa, nec interrupta; quæ ſupra ſummum folium incraſſata, in decurſu duabus tribusve ſpathis, ſimilibus quidem foliis, ſed brevibus inſtruitur, quæ racemum primo involvunt, conum formantes acutum, dein a racemo aucto & ſe expediente detruſæ decidunt. Summitas culmi & racemus nutant. Hic a ſex ad novem uncias longus eſt, hirtus, ferrugineus, & calamum craſſus. Pedunculi plus minus viginti, vix ſemunciales, hirtelli, cernui, pennam columbinam craſſi, ſuperne gerunt ſpatham albam cum apice rubro & dein fuscescente. Hæc florem emittit biuncialem, & tandem marcescit, ſicque perſiſtit, aut decidit. Tunc ex eodem pedunculo in plusculis floribus, minime in omnibus, proxime germini alius flos prodit, breviſſime pedicellatus, ſimillimus priori, cui ſpatha propria deeſt, nam erat illa unica communis utrique; ut videatur ſic racemus duabus ſucceſſive vicibus florere. Floruit apud nos in caldario a Junio ad Auguſtum; ſed fructum negavit. Aſſumpſi nomen Wendlandii; nam ad nullum ex aliorum autorum generibus potui referre. Characterem ſequentem inveni.

Spatha monophylla, ſubtus inflata & incurva, ſubovata, tricarinata, antice longitudinaliter fere ad baſin usque fissa, apice bidentata, decidua.

Cal: Perianthium monophyllum, ſuperum, ultra duas tertias antice fiſſum, connivens, leviſſime pubescens, albidum, apice tridentato rubrum, longitudine ſpathæ, cui una cum germine incluſum.

Cor: monopetala, ſupera, pallida cum apicibus rubris. Tubus ſubcylindricus, incurvus, teres, brevis. Limbus trifidus; laciniis oblongis, obtuſis, calyce duplo longioribus, concavis, integerrimis, ſuprema duplo latiore oppoſita duabus reliquis, erectiusculis.

Nectarium monophyllum, unilabiatum, maximum, baſi cum tubo corollæ concretum, cordatum, integerrimum, nonnunquam repandum, obtuſum, ſæpe emarginatum, patentiſſimum, baſi ad ortum in utroque latere denticulum emittens incurvatum retro dorſum filamenti; fascia dorſali longitudinali firmum, ſubtus rubrum cum ſuffuſa albedine, intus ſaturate rubrum cum oris utrinque flavis, coſtatulum.

Stam: Filamentum unicum, lineare, nectario oppoſitum, planum, longitudine circiter calycis, craſſum, album, incurvatum ad nectarium, longitudine corollæ, cujus tubo dorſali accretum, antice ſulco longitudinali exciſum ac ſi ex duobus eſſet filamentis connatum, dorſo autem ſolidum. Antheræ geminæ, oblongæ, totæ longitudinaliter apici filamenti accretæ, flavæ.

Piſt: Germen inferum, ovatum, hirſutum. Stylus unicus, filiformis, debiliſſimus, filamento longior, per hujus ſulcum & inter antheras tranſiens. Stigma capitatum, obtuſum, orbiculare, hirtum.

Per: ovatum, triloculare. Semina numeroſa, minima.

In tabula repræſentantur culmi florentis ſummitas; ſpatha, perianthium cum germine, corolla germini inſidens, nectarium expanſum cum tubo corollæ & ſtamine ſtyloque, genitalia cum baſi denticulata nectarii, ſtamen antice viſum; & aucta ſtylus, germen horizontaliter diſciſſum, & portio marginis folii.

171. MARANTA CASUPO. *Jacq.* Tab. 63. Fig. 4.

Anno 1788. ab hortulanis meritiſſimis Cæſareis ex Caracas plantarum quatuor diverſarum radices adlatæ fuerunt, ſine ullis foliis. Priorum duarum unicum erat cujusque ſpecimen, utrumque læſum, quæ terræ novæ commiſſa gemmas brevi quidem protulerunt; ſed poſt quintum jam menſem, labe accepta latius ſerpente, perierunt. Utriusque etiam aderant pedunculi ſpicati exſiccati, floribus ſeminibusque inſtructi. Hæc, licet adſpectu matura, tamen non germinarunt, nec videntur pericarpio fuiſſe incluſa, ſed nuda. Flores fuerunt in quavis ſpatha communi plures; at horum extricare ſtructuram haud fuit poſſibile. Adjectus alteri titulus erat *Caſupo incolis dicta planta*, præterea nihil; alteri eadem ratione *Caſupito*. Utraque ſtirps congruere mihi videtur genere cum Plumieri inedita Bermudiana ampliſſimo Cannacori folio, quam autopta Aubletus retulit ad Marantas; quare etiam hanc & ſubſequam Marantis aſſocio; dum forte omnes tres diſtinctum conſtituunt genus. Figura ſupra indicata repræſentat ſcapi ſummi ramum aliquem, triplici ſpica pedunculata onuſtum, totumque glabrum & fuſcum. Duobus pedunculis ſpatha propria ſubjicitur, alteri longiſſima & involvens, alteri brevis, tertiæ nulla. Spicæ ſunt teretes, oblongæ, compoſitæ ex ſquamis imbricatis, coriaceis, obverſe cordatis, ſeſſilibus, conniventibus & plures flores includentibus. Talis ſquama, vi expanſa, ad latus vi[illegible]tur. Iterum alia patula, ut florum interior compages in conſpectum prodeat. Hæc externe componitur ex duabus valvulis, ſupra priores hic depictis, quæ forte ſunt perianthium commune inferum, floſculos plusculos ſucceſſive emittens. Hos corrugatos, valde teneros, cum genitalibus confuſos, non potui ullo artificio explicare. Aſtant etiam duo ſemina. Ne memoria hujus & ſubſequæ plantæ pereat, icone imperfecta utramque huic operi inſerui.

172. MARANTA CASUPITO. *Jacq.* Tab. 64. Fig. 3.

Hujus ſimplices ſoli pedunculi erant, una ſpica longa & ſubcylindrica terminati, cujus ſtructura valvarum eadem erat. Inveni in qualibet partes diverſas, quas ſeorſim exhibeo, ſed

quas deſcribere nequeo. Semina in hac reliquiis aut calycinis aut corollinis erant coronata, ut videatur germen eſſe inferum.

Radicis tertiæ, cujus mentionem feci, ſpecimina erant duo, & quartæ unicum; quæ omnia ſat læte vegetarunt per aliquot annos, iisdem ſingulis unum alterumve folium producentia, ſed dein ſucceſſive ſine flore interierunt; quod ægerrime tuli, fructificatione ſingulariſſima ſic fruſtratus. Nullus plane titulus aderat, nullum adjectum ſpecimen ſiccum. Perluſtrans Plumieri opera, ut viderem, utrum ille haberet, incidi in tabulam quinquageſimam nonam illius Plantarum Americanarum, ubi delineatur tertia & deſcribitur ſub titulo Ari hederacei, foliis biſſectis rigidis & ſulcatis. Folium ibidem delineatum exacte convenit figura magnitudine & erectione cum planta noſtra. Videtur ex fructificatione omnino proprii eſſe generis. Hæc folia gerit ad duas tertias biſſecta; quarta vero planta conſtanter eadem habebat ad petiolum usque diviſa, adeoque folia conjugata, cæterum prioribus ſimillima.

Ante plurimos annos, ad poſtulatum meum, ex ſingulari benevolentia viri amiciſſimi & botanici celeberrimi obtinui exempla ſcitamineorum, qualia in magni Plumieri manuſcriptis ineditis, in bibliotheca regia Pariſina tunc aſſervatis, egregie depicta deſcriptaque continentur. Cum nullibi, quod ſciam, edita extent, in augmentum ſcientiæ cedere poſſe, credidi, ſi hæc plura insererem huic operi meo. Nec in figuris quidquam nec in deſcriptionibus mutavi. Omnia pertinent ad Plumierum. Sunt plantæ, quæ ſequuntur a numero 173 ad 181, quarum ultima non erat colorata. Celeberrimus Aublet has omnes vidit; nam enumerat illas in Plantis ſuis Guianenſibus, citatque Plumieri opus manuſcriptum, ſed absque ulla addita deſcriptione propria. Ad genera autem Linneana reduxit, quæ fere omnia retinui; additis nominibus trivialibus, quibus illas incolæ appellant.

173. MARANTA CACHIBOU. Tab. 69. & 70.

Maranta ampliſſimo folio. *Aubl. guian. vol. 1. pag.* 4.

Bermudiana ampliſſimo Cannacori folio. *Plum. Mſſ. vol. 5. tab. 21. et 22.*

Radix hujusce plantæ arundinacea, ſed radicibus arundinaceis tenerior, ex albo interdum rubens, interdum nigricans, fibrisque multis capillaceis ſtipata. Ex ipſa autem quatuor vel quinque elevantur folia, ſatis ampla, duos pedes ſcilicet longa, unum circiter lata, linguiformia, membranacea, nervo rufescente ſuſtentata, rugis frequentibus ſulcata, ſature virentia, pulvisculo tandem albicante obducta. Singula pediculis innituntur quatuor vel quinque pedes altis, inferius excavatis, ſeſe invicem alternatim complectentibus, deinde teretibus, rigidis, politis & virentibus, & juxta folii baſin rufescentibus. E medio pediculorum complexu cauliculus ſingularis erigitur, interdum novem vel decem pedes altus, ſed ut plurimum humilior, pollicem circiter craſſus, rotundus, enodis, politus, rigidus, intus tamen medulloſus, folium tandem vel duo in ſummitate gerens, priorum conſiſtentia & forma, ſed multo minora; ex ipſorum autem pediculorum cavitate cauliculi duo vel tres enascuntur, ſed tenues & breviſſimi, in vasculum membranaceum deſinentes; unde coni duo vel tres erumpunt, multis vasculis membranaceis rufescentibus & ſeſe alternatim amplexantibus veluti ſquamatim compacti. E ſingulorum denique vasculorum ſinu flos unicus erumpit luteus, ſed exiguus, veluti liliaceus, hians, e tribus ſcilicet petalis conſtans, ſemipollicem longis, tres uncias latis, & quaſi complicatis. Calix autem piſtillo albicante & in volutæ modum contexto inſtructus, ac duobus vel tribus foliolis membranaceis ſtipatus, abit deinde in fructum veluti utriculatum, ſemipollicem longum, rubicundum, trifariam ab apice ad baſin dehiscentem, tribusque ſeminibus oblongis & albicantibus fetum. In locis humentibus, & uliginoſis ſilvis potiſſimum reperitur hæc planta. Caraibæ ipſam Cachibou appellant, capſulasque ſuas ſeu ſcrobes ex ipſius foliis intus muniunt, ut ſupellectilem ab aquis & imbribus immunem conſervent.

174. MARANTA ALLOUYA. Tab. 71.

Maranta foliis amplis, ovato-rotundatis; ſcapo nudo; capitulo folioſo, variegato. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 3.

Allouya foliis cannacori; radicibus tuberoſis. *Plum. Mſſ. vol.* 5. *tab.* 35.

Radices hujus plantæ inſunt plurimæ, tuberoſæ, nucis juglandis magnitudine, partim rotundæ, partim turbinatæ, teneræ, albicantes, ſubdulces, fibrillis villoſæ, longis tandem radiculis etiam villoſis appenſæ. E capite autem, unde illæ promanant radiculæ, quinque aut ſex elevantur folia, ſatis ampla, Cannacori foliis ſimillima, dilute virentia, multis coſtulis obliquis ſulcata, pediculoque duos interdum pedes alto ſolido rigido & rotundo ſubnixa. Ex eodem ipſo capite cauliculus etiam ſurrigitur teres, glaber, quatuor uncias circiter craſſus, duos aut tres pedes altus, foliaque in ſummitate gerens prioribus ſimilia, ſed multo minora; e quorum communi complexu pediculus etiam elevatur rigidus, ſemipedem circiter altus, deferensque clavam ovo gallinaceo paulo minorem; foliolisque conſtantem partim virentibus, partim niveis, deque ſinu ſuo florem emittentibus ſingularem, exiguo lilio ſimilem, candidiſſimum nempe, monopetalum & quadrifariam & trifariam diſſectum, ſtaminulisque intus inſtructum craſſiusculis, etiam candidis & apice luteo decoratis. Fructum non vidi. Planta in hortis colitur. Auguſto & Septembri florentem vidi in inſula Martinica. Tubera ejus decocta non inſuaviter ſale & pipere condita comeduntur. Caraibæ ipſam Allouya, noſtri vero Alleluya vulgariter vocant.

175. MARANTA AROUMA. Tab. 72. & 73.

Maranta caule inferne nudo. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 3.

Bermudiana junceo caule altiſſimo. *Plum. Mſs. vol.* 5. *tab.* 23. *et* 24.

Radicem habet hæc planta arundinaceam, ſed teretiusculam, repentem, rubicundam, multisque radiculis fibroſis donatam. Ex ipſa autem plurimi elevantur ſcirpi altiſſimi, decempedales circiter, rectiſſimi, enodes, politi, veluti torno elaborati, medulla candida pleni, rigidi, ac tandem vix pollicem aut digitum craſſi. Baſin eorum vaginulæ quædam membranaceæ involvunt; ſed ſummitatibus quædam folia prominent, ſurſum elevata, membranacea, glabra, cuſpidata fere, circiter pedem longa, & ſemipedem lata ubi latiſſima; acumen ipſorum veluti roſtratum, ſcilicet ab ipſa nervi directione parumper divertunt. Pediculi autem eorum tenues, magis quam pedem longi, ad initium excavati, ſeſeque invicem amplexantes, deinde teretes, partim virentes, partim rufescentes, & rubentes, inque nervum etiam rubentem & totam folii longitudinem percurrentem abeuntes Ex pediculorum autem medio amplexu cauliculus alius progreditur, ſed tenuis, pedem longus, foliolo ſtipatus. ac veluti in flagella quædam ſeſe deinde diſtribuens, tenuia, nodoſa, vaginulis membranaceis & rubentibus ad interſtitia ſua alternatim involuta. Ex ipſis tandem vaginulis ſingulis unus vel duo flores erumpunt, hiantes, fere liliacei, quinque ſcilicet petalis acuminatis & rubentibus conſtantes, habentesque intus ſtylum craſſiusculum & in ſummitate circinatum. Fructum poſt multam diligentiam nunquam licuit obſervare. In locis uliginoſis & paluſtribus nascitur hæc planta. Caribæi Aroman adpellant, qui e ſcirporum corticibus in longiſſimas & tenues ligulas diſſectis ſcrobes & alia multa utenſilia ſibi parant.

176. ALPINIA AROMATICA. Tab. 74. & 75.

Alpinia multicaulis. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 3.

Paco Seroca minor, multicaulis. *Plum. Mſs. vol.* 5. *tab.* 27. *et* 28.

Hujus radix arundinacea, carnoſa, rubens, multisque fibris longiusculis & tenuibus capillata, ac tandem in plurimos ramos extenſa. Ex ea plurimi elevantur cauliculi, humana alti-

tudine paulo breviores, pollicem craſſi; ſed pedunculis foliorum ſeſe invicem alternatim convolventibus; folia autem ipſa plurima ſunt alterno ſitu, hinc inde expanſa, Cannacori vulgaris foliis ſimilia, ſed multo anguſtiora, pallidiora venulisque multis obliquis ſulcata. Ex eadem autem radice & juxta illos cauliculos folioſos alii quidam erumpunt cauliculi tenues, duos pedes circiter alti, rubentes, & a medio ſurſum verſus ramusculos quosdam breves emittentes; qui quidem ramusculi floribus veluti in ſpicam digeſtis onuſtantur, fere liliaceis, luteis, trifariam diſſectis, & calyci rubenti inſidentibus; cujus infima pars in fructum deinde evadit fere globoſum, nuci avellanæ æqualem, membranaceum, ſature violaceum, trifariam ab apice dehiscentem, ſeminibusque fetum multis rufescentibus, intraque pulpam quandam croceam conglobatis. Sæpius reperitur hæc planta per ſilvas humidas inſulæ San-Domingo.

177. ALPINIA PACO SEROCA. Tab. 76.

Coſtus ſecundus. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 2.

Paco-Seroca. *Marcgr. libr.* 1. *cap.* 23. *Plum. Mſs. vol.* 5. *tab.* 25.

Radice potitur hæc planta arundinacea prorſus, ſed tenera rubente fibrisque craſſiusculis & longiusculis ſtipata; e qua cauliculus unicus elevatur, quinque pedes altus, pollicem fere craſſus, rotundus, ſed tantum ex foliorum ipſorum pediculis ſeſe invicem alternatim amplexantibus efformatus; ipſa autem folia decem circiter aut novem numero, alterno ſitu, ipſum exornant, membranacea, Cannacori vulgaris tum formam, tum conſiſtentiam ac magnitudinem imitantia, ad oras undulata & fasciola rubicunda circumdata, ſubtus tandem dilute, deſuper vero obſcurius virentia & ſplendentia. Ex ipſa autem eadem radice juxta cauliculum jam dictum cauliculi alii prodeunt coccinei, pedem & ſemi circiter alti, quatuor uncias craſſi, & foliolis quibusdam acuminatis & anguſtis obvoluti, e quorum alis flores ſingulares enascuntur, veluti ſpicam ſeu pyramidem conſtituentes, & veluti tribus tubis, uno alteri innato, conſtantes, & rubedine præclara conſpicui. Tubi autem illi bifariam ad oras diſtenduntur, deque fundo ſuo foliolum emittunt craſſiusculum & luteum duobusque apicibus pallidis ſtipatum. Calyx tandem piſtillum gerens longiusculum tenue candidum apiceque rubente ornatum, in fructum evadit ovalem, pruni magnitudine, carnoſum, umbilicatum, ſanguinis rubore infectum, ſanguineoque ſucco prægnantem, trifariam ab apice dehiscentem, ſeminibusque fetum rufis ſplendidis duris intraque pulpam quandam filamentoſam & croceam involutis. Silvas humentes ac fluviolorum ripas amat hæc planta. Ejus fructus jumentis ac bobus pabulum fiunt gratiſſimum. Plurimam obſervavi in inſula Sancti Vincentii, in illa regione, quam Caribæi Alaiou adpellant. Ex fructuum autem ſucco color præclare violaceus elicitur, deinceps indelebilis, ſi ex eo panni linei aut ſericei tingantur.

178. COSTUS CYLINDRICUS. Tab. 77.

Coſtus quartus. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 2.

Paco Caatinga caule ſpirali minor. *Plum. Mſs. vol.* 5. *tab.* 30.

Radicem habet hæc planta arundinaceam, geniculatam ſcilicet, ſed teneram, albicantem, fibrisque multis craſſiusculis longis & capillatis inſtructam. Ex ea ut plurimum cauliculus unicus, interdum vero plures elevantur, digitum fere craſſi, rotundi, humanam altitudinem interdum ſuperantes, ſed in ſpiram, columnæ, quam vulgo tortam, in modum procedentes, foliis tandem frequentibus ornati, ſpiralem ordinem etiam conſequentibus. Singula autem hæc folia fere liliacea ſunt, ſed foliis liliaceis multo ampliora & nervoſiora, utpote nervulis multis frequentibus & oblique discurrentibus omnino ſulcata, lætiſſime virentia, & pediculis ſuis fiſtuloſis cauliculum ipſum induentia. Singuli autem cauliculi in clavam deſinunt ſemipedem longam & paulo magis quam pollicem craſſam, obtuſam, totamque ſquamis membranaceis & purpureis

conſtantem, unde erumpunt plurimi flores liliacei eximie cærulei, e ſinu cujuslibet ſquamulæ ſinguli prodeuntes. Emarcidos flores tantum vidi, nec fructum etiam potui obſervare. Secus fluviolum quendam plantam reperi in inſula Martinica in regione parochiæ Sanctæ Mariæ ad partem ipſius inſulæ Orientalem vulgo Cabeſterre.

179. COSTUS ANACHIRI. Tab. 78.

Coſtus quintus. *Aublet. guian. vol.* 1. *pag.* 2.

Paco Caatinga clava rubente major. *Plum. Mſs. vol.* 5. *tab.* 31.

Eadem ac præcedens potitur radice hæc planta, ſed paulo ampliore, longiore & nodoſiore, unicum proferente cauliculum, digitum craſſum, virentem, eodemque modo ſpiralem, iisdem foliis indutum, ſed amplioribus. Summitati autem cauliculi folia alia veluti radiatim extenduntur, quorum medio prominet clava elegantiſſime purpurascens, pineæ nuci perquam ſimilis, e ſquamis nempe tota compacta latiusculis, membranaceis, purpureis, aureaque nota in longum ſignatis. E cujuslibet autem ſquamæ ſinu flos unicus ſeſe exſerit, anomalus, in plures partes ſcilicet ſectus inæquales & diſſimiles, luteas, e rubro variegatas, & e calyce prodeuntes vasculoſo, rubente, & piſtillo tenui longiusculo & in ſummitate bilinguato inſtructo. Ejus autem infima pars in fructum evadit ſubrotundum, candidum, duobus foliolis rubentibus & concavis obvolutum, in terna loculamenta diviſum, ſeminibus feta ſubrotundis, nigris, intraque pulpam quandam candidam & vermicularem immerſis. Plurima reperitur hæc planta ſecus fluviolos & ſilvas humidas inſulæ Sancti Vincentii. Caraibæ Anachiri ipſam appellant.

180. COSTUS NIVEO-PURPUREUS. Tab. 79. & Tab. 67. Fig. 2.

Coſtus ſextus. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 2.

Paco Caatinga floribus amplioribus niveis & purpureis. *Plum. Mſs. vol.* 5. *tab.* 32. *et* 33.

Radix etiam ejus arundinacea, nodoſa, carnoſa, multisque fibris capillatis ſtipata. Ex ea autem caulis prodit (interdum plures) digitum fere craſſus, quatuor aut quinque pedes longus, ſpiræ in modum contortus, foliorumque pediculis fiſtuloſis circumveſtitus; quæ quidem folia liliacea ſunt, novem aut decem pollices longa, tres circiter lata ubi latiſſima, tenera, glabra, ſed plurimis venulis obliquis ſulcata, læte ſatis virentia, acetoſo tandem ſapore donata. In ſummitate autem caulis clava ſurrigitur, magis quam ſemipedem alta, tota foliis virentibus & membranaceis ſquamata, ſingulis florem ſingularem exſerentibus, gladiolorum roſtratorum floribus proxime æmulum, ſed paulo ampliorem, anomalum, quinque ſcilicet petalis aut partibus conſtantem diſſimilibus & inæqualibus, partim candidiſſimis, partim flammeis & aurea macula decoratis. In ipſorum fundo duo reconduntur apices pallidi, piſtillum complexantes tenue candidiſſimum ac in ſummitate in duas ligulas diſſectum. Cujusque autem floris calyx punico cythino perquam ſimilis & coccinea rubedine ſplendens, in tres cuſpides virentes ſecatur; inferior autem ejus pars in fructum abit, tribus loculamentis diviſum, ſeminibus plenis, quæ tamen matura non potui obſervare. Secus fluviolos & quædam loca humida reperi Septembri florentem in inſula Martinica.

181. COSTUS VILLOSISSIMUS. Tab. 80.

Coſtus ſeptimus. *Aubl. guian. vol.* 1. *pag.* 2.

Paco Caatinga villoſiſſima, flore luteo. *Plum. Miſs. vol.* 5. *tab.* 34.

Zinziber villoſiſſimum, floribus luteis. *Plum. ibid.*

Planta hæc radicem habet arundinaceam, aut radici Polygonati vulgaris perquam ſimilem, ſimiliter nempe geniculatam, nodoſam, carnoſam, ſed multo ampliorem, etiam ſic repentem,

candicantem, fibrisque craſſioribus & longis inſtructam. Ex ea tres aut quatuor elevantur cauliculi, digitum pollicemve craſſi, hominis altitudinem interdum ſuperantes, teretes, medulloſis fiſtuloſisque foliorum pediculis omnino contecti, qui ejusdem pediculi fiſtuloſi villis rufescentibus ſicut & ipſa folia penitus induuntur; folia autem liliacea ſunt pedem circiter longa, tenera, acida, nervo eminente ſuſtentata, fibrisque in longum percurrentibus veluti compacta. Cauliculi tandem ſummitatem quædam folia in orbem expanſa exornant, e quorum media area clava quædam nuci pineæ ſimilis elevatur tres pollices circiter alta, totaque ſquamis acumine obtuſo & villoſo roſtratis compacta. Ex ipſarum autem ſingularum ſquamarum ſinu ſingularis flos exoritur anomalus, e quinque ſcilicet petalis aut partibus conſtans diſſimilibus & inæqualibus, amplis, aureis & criſpatis. Fructum non vidi. Plantam reperi in inſula Sancti Vincentii.

182. PLANTAGO CYNOPS. *Linn.* Tab. 81. Fig. 1.

Crescit in Galloprovincia, Helvetia, Italia & Sibiria. Apud nos ſub dio floret æſtate. Caulis fruticoſus, teres, calamum & ultra craſſus, bipedalis, junior purpurascens & pubescens, ſenior fuscus, reclinatus vel decumbens, totus ramoſus, ramis junioribus erectis. Folia oppoſita, ſeſſilia, ſubulata, acuta, integerrima, trigono-canaliculata, aſperula, hirſutula, a duabus ad tres uncias longa, modice rigidula, patentiſſima. Pedunculi axillares, ſolitarii, foliis ſæpe longiores, erecti, teretes, aſperi, ſpica parva ovata erectaque terminati. Bracteæ ſingulis floribus ſubjiciuntur ovatæ, concavæ, acutæ, extimæ majores & in apicem productæ patentem. Calycis tetraphylli foliola ovata, concava, obtuſa. Corolla pallida. Filamenta erecta, petalo triplo longiora. Antheræ ſulphureæ. Styli longitudine ſtaminum, villoſuli.

183. PLANTAGO SQUARROSA. *Jacq.* Tab. 81. Fig. 2.

Anno ſæculi elapſi octavo & ſeptuageſimo duarum Plantaginum ſemina Pariſiis accepi, quarum alteri Plantaginis ægyptiacæ, alteri Plantaginis ſquarroſæ titulus inſcriptus erat. Utraque annua per plures annos cum in caldario tum ſub dio læte viguit; dein ob ſemina neglecta perdita eſt. Illam in collectaneis & in Iconibus rarioribus meis jam dudum publicavi, ſub miſſo nomine triviali ſuo, utpote jam ante ſesquiſæculum a detectore primo Proſpero Alpino illi dato, tum a Caſpare Bauhino; quod tamen a Murræo non bene mutatum fuit, nunc a celeberrimo Perſoon iterum inſtauratum. Nunc alterius, quæ miſſa ſub ſquarroſæ titulo fuit, figuram hic propono, jam tunc factam, cujus autem perdita eſt deſcriptio. Convenit certe multum cum ægyptiaca mea, ſed toto cælo differt rigiditate omnium partium, caule erecto, & ſtatura minore; etiam magis hirta eſt.

184. GNAPHALIUM LEONTOPODIUM. *Wilden.* Tab. 81. Fig. 3.

Hanc plantulam, Botanicis alpinis notiſſimam, jam dudum in Flora Auſtriaca deſcripſi, & icone illuſtravi. Facilem culturam admittit, quando tunc multo major evadit; talem cultam hic propono, ut tabulæ locus vacuus non inepte occuparetur.

185. LAROCHEA FALCATA. *Perſoon.* Tab. 82.

Crescit in Promontorio bonæ Spei; unde Schollius ante decem annos ſemina miſit; quæ terræ mandata plurimas plantas produxerunt, quæ omnes cum in caldario, tum in tepidario læte vigent, altitudine inæquali, ab unico ad tres pedes altæ, & plures ex his Septembri & Octobri floruerunt. Radix in ramos nigros calamumque craſſos dividitur. Tota glabra eſt, glauca, rigidaque. Caulis fruticoſus, totus folioſus, & donec floreat, ſimpliciſſimus, dein ramoſus, erectus, firmus, teres, ad foliorum dorſum parumper anceps, digitum craſſus. Folia approximata, caulem ſæpe omnino obtegentia, oppoſita, decuſſata, amplexicaulia, baſi leviter connata, linguiformia, obtuſula, carnoſa, valde craſſa, ad oras ob puſtulas minutas cartilagineas nudo

vix oculo confpicuas fcabra, avenia, enervia, falcato-patentiffima, fæpe adverfa, majora femipedalia. Caulis fummus foliis minoribus ceu bracteis ornatur oppofitis, concavis, acutulis, connatis, erectis, & diftantibus. Cyma terminalis, denfa, erecta, convexa, triuncialis diametri, ante florescentiam cernua, compofita ex fummo caule bifurcato vel trifido, ex ramis ramulisque trifidis, pedicellis tandem in capitulum aggregatis breviffimis, fæpe vix ullis. Flores inodori. Perianthium monophyllum, quinquedentatum, virescens, erectum, parvum. Corolla monopetala, quinquepartita; laciniis oblongis, acutulis, inferne erectis albidisque, fuperne patentiffimis & miniatis. Filamenta quinque, fubulata, erecta, alba, fere longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, incumbentes, flavæ. Germina quinque, oblonga, cincta fquamis quinque minutis emarginatis albisque. Styli ftaminibus breviores. Stigmata capitata. Capfulæ quinque, polyfpermæ. In tabula fiftitur caulis florens; radix; feorfim aucta perianthium, petalum cum genitalibus, & germina cum fquamis fuis.

186. MALPIGHIA ARGENTEA. *Jacq.* Tab. 83.

Arbor in caldario horti Schönbrunnenfis duodecimpedalis, a Martio ad Julium florens, fed huc usque fine fructu, ex Caracas adlata. Truncus erectus, teres, rugofulus, cinereus, carpum craffus. Rami teretes, oppofiti, debiles, feniores rugofuli & cinerei, juniores fericei & albidi. Folia oppofita, lanceolata, acuminata, integerrima, breviter petiolata; facie læte virentia, nitida, & obfolete pubescentia; fubtus holofericea & argentea; majora feptem uncias longa & tres lata. Racemi fimplices, axillares, oppofiti, folitarii, multiflori, erecti, fubpubescentes, triunciales. Pedicelli vix femunciales, patentiffimi, circa medium articulati, articulo inferiore in fummo margine bracteolis duabus oppofitis ciliatisque munito, ad cujus unius bafin in dorfo glandula adfidet orbicularis convexula viridis & nitida. Calycis pentaphylli dorfo fubjiciuntur glandulæ omnino octo, oblongæ, obtufæ, & calycis longitudine. Petala flava. Antheræ albidæ, & alia generis.

187. NICOTIANA CRISPA. *Perfoon.* Tab. 84.

Planta annua, bipedalis, tota hirta & fcabra. Caulis erectus, teres, calamum craffus, ramofus. Folia radicalia obverfe ovata, obtufa, in orbem expanfa, planiuscula, fubundulata, venofa, glabriuscula, majora quatuor uncias longa & duas cum dimidia lata. Caulina fubamplexicaulia, ex oblongo lanceolata, acuta, crifpo-undulata, cæterum integerrima, hirtula imprimis dorfo & ad nervum medium, alterna, venofa, fuperiora fenfim minora. Pedunculi uniflori, folitarii, laterales, plerumque oppofitifolii, erectiusculi, femunciales. Flores inodori explicantur circa vefperam, mane iterum clauduntur. Perianthium monophyllum, femiquinquefidum, tubulofum, decemftriatum, pilis ad lentem capitatis hirtum, erectum, viride, perfiftens. Corolla ferme hypocrateriformis. Tubus gracilis, longus, hirtus, erectus, fere fescuncialis. Limbus quinquefidus, patentiffimus, fubtus fuscescens, intus albus; laciniis lanceolatis, acutis, fupra fulco, fubtus carina notatis. Filamenta quinque, filiformia, erecta, breviffima, fauci rotundatæ petali infidentia. Antheræ fubrotundæ, didymæ. Germen ovatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine faucis. Stigma capitatum, vertice fulcato & obtufo. Capfula ovata, glabra, longitudine calycis, inferne bilocularis, fuperne ob defectum diffepimenti unilocularis, bivalvis, valvulis bifidis. Semina numerofa, minuta, rugofa, accreta undique receptaculo proprio pyramidali acuto & connato inferne cum diffepimento. Floret fub dio a Junio ad Septembrim.

188. NOCCAEA MOLLIS. *Jacq.* Tab. 85. Fig. 1.

Patriam ignoro. Floret apud nos ſub dio ab Auguſto ad Octobrim. Radix annua. Caulis bipedalis, calamo gracilior, ſubquadrangularis, totus ramoſus, erectus, hirtulus, viridis. Folia petiolata, ovata, acuta, obſolete pauciſerrata, utrinque virentia, facie venoſa, holoſericea & ad tactum molliſſima, ſubtus rugoſa & villoſula, patentia, majora duas cum dimidia uncias longa cum petiolo unciali, caulina infima & in ramis junioribus pleraque oppoſita, reliqua alterna. Caulis ſummus ex pedunculis unifloris elongatis terminalibus & axillaribus eſt paniculatus. Calyx communis polyphyllus ex foliolis a quinque ad octo, ovatis, acutis, integerrimis, villoſis, ciliatis, virentibus, patentiſſimis, magnitudine valde inæqualibus; perſiſtens immutatus. Flosculi numeroſi, omnes hermaphroditi & æquales, breviter ſinguli pedicellati. Perianthium proprium inferum, monophyllum, tubuloſum, ſtriatum, viride, hirſutum; ſupra medium diviſum in lacinias lineari-lanceolatas, acuminatas, erectas, ſæpius quatuor, rarius quinque, rariſſime tres. Corollula tota alba, infundibuliformis, ratione germinis infera, erecta. Tubus calyce proprio longior. Limbus ſemper quinquefidus, patens; laciniis oblongis, acutis. Filamenta quinque, capillaria. Antheræ in cylindrum connatæ, lineares, acutæ, fuscæ. Germen ſuperum, teres, oblongum, apice barbatum. Stylus filiformis, longitudine corollæ, ſuperne una cum ſtigmate bifido & revoluto hirtellus. Semina ſolitaria, ſingula calyci proprio incluſa apice barbata, fusca. Receptaculum convexulum, pedicellis flosculorum propriis perſiſtentibus tuberculatum & nigropunctatum, dum calyces proprii una cum ſeminibus a pedicellis ſuis marcescentibus ſoluti decidunt. Pedicelli ex baſi ſua emittunt in ambitum pilos radiatos albos, qui receptaculum villoſum mentiuntur, cum vere ſit nudum. Tabula ſiſtit ramum florentem, calycem communem cum receptaculo, calycem proprium, ſemen; dein aucta piſtillum, florem, calycem proprium, ſemen, & receptaculi partem.

189. PHYSALIS CHENOPODIFOLIA. *Wilden.* Tab. 85. Fig. 2.

Annua planta floret ſub dio totam æſtatem, fructescit in caldario Octobri & Novembri, ex patria ignota. Caulis, rami, folia utrinque & petioli ad oculum armatum villoſula ſunt. Caulis angulatus, ad ramos nodoſe incraſſatus, erectus, tripedalis, inferne calamo craſſior & atropurpureus. Rami angulati. Folia ſolitaria, alterna, in ramulis ſæpe oppoſita, ovata, acuta, petiolata, venoſa, ſinuato-repanda, majora tres uncias longa. Pedunculi uniflori, breves, ſolitarii, axillares inter petiolum & novum ramum. Flores inodori, penduli. Calyx campanulatus, decemſtriatus, ſemiquinquefidus. Tubus baſi & nervi inferne ſaturate rufi. Laciniæ ovatæ, acutæ, patentes. Corolla rotata, plicata, margine rotundato quinqueloba, calyce duplo longior, utrinque flava cum macula ſtellari in centro rufa; dum jam expanſa eſt, ad duplum increscens, tandem diametri uncialis. Filamenta brevia, ſubulata, erecta, rufa. Antheræ oblongæ, didymæ, erectæ, obtuſæ, rufæ cum polline cinereo, utroque latere longitudinaliter dehiscentes. Germen globoſum. Stylus filiformis, longitudine ſtaminum. Stigma obtuſum. Calyx in fructu inflatus, maximus, decemlineatus, ſubrotundus, obtuſus, pendulus, ſordide virens cum venis & lineis fuscis, baſi totus fuscus. Bacca ſubrotunda, glabra, ex fusco livida, mollis, tandem exacte calycem implet. Semina ex flavo pallent. Siſtuntur in tabula ramus florens, calyx cum contento fructu maturo, hic dempto calyce, ſemen; & aucta hinc atque illinc viſa anthera.

190. CATHARTOCARPUS BRASILIANUS. *Jacq.* Tab. 85. Fig. 3.

Anno 1756. in prato quodam haud procul a fluvio, dicto Riviere Capot, in inſula Martinica unicam vidi arborem jam tunc vaſtam, ibidem ante plurimos annos enatam ex ſemine ex

Braſilia adlato, Tamarindo habitu coma denſa foliisque ſimilem, ut eminus pro illa haberem. Erat tunc floribus onuſta rubellis, qui Caſſiæ ſpeciem indicabant. Deſcriptionem tunc concinnatam perdidi; nec deinceps aliam ullibi videre contigit. Foliola, ſi recte memini, glabra fuerunt, nec tamarindinaceis majora. Prati hujus tunc temporis poſſeſſor ab aliquot annis magnam fructuum copiam collegerat, quos in Europam brevi transmittere cogitabat, experturus, an non ibidem vendi & Caſſiæ fiſtulæ in locum ſubſtitui poſſent, utpote ejusdem in medicina virtutis. Plures mihi ſiliquas dono dedit, quarum ſemina in Europa progerminarunt nulla. Hæ ſesquipedalem habebant longitudinem, craſſitiem diametri ſescuncialis, teretes, ſtriis elevatis oblique transverſis inſignitæ, fuscæ, altero margine protuberante rotundato & ſimplici, altero ſic duplici & concreto, multiloculares, polyſpermæ, pulpa refertæ nigra & ſeminibus oblongis compreſſis fuscis, cortice craſſo duroque. Ex deſcriptione & figuris, quas autores Caſſiæ ſuæ grandis & mollis dederunt, non poteſt hæc eſſe, ſed diſtinctam novamque videtur ſpeciem conſtituere, quam a patria braſilianam vocavi. Repræſentatur ſiliqua tota, ejusdem ſectio transverſa, & ſemen.

191. CATHARTOCARPUS BACILLARIS. *Perſoon.* Tab. 85. Fig. 4.

In inſulis Caribæis degens accepi ab amico tres ſiliquas, ſibi ex Continente Americæ ſine ullo titulo transmiſſas, quarum unam hic pictam propono. Tota ſtructura eadem eſt cum Cathartocarpo Fiſtula, a quo differt imprimis gracilitate & colore. Siliqua eſt teres, cuſpidata & recta, cum pulpa nigra ſeminibusque pallide fuscis. Forte eſt Houſtoniana planta, ſive Caſſia bacillaris Linnæi.

192. CERESIA ELEGANS. *Perſoon.* Tab. 86.

Crescit in Peruvia. Apud nos in caldario ex radice fibroſa & perenni attollit ſucceſſive culmos virides, tripedales, ſimul plurimos, geniculatos, flexuoſos, teretes, graciles, glabros, ſimpliciſſimos vel ramoſulos, debiles, hinc procumbentes niſi ſuſtententur a vicinis. Folia ſunt alterna, longe & arcte vaginantia, enſiformia, cuſpidata, plana, integerrima, glauco rore tecta, ſubtiliſſime lineata, ſemipedalia, vix dimidiam unciam lata, in ſola facie proxime ad oras pilis vagis mollibusque parce inſtructa, cæterum glabra. Spicæ duæ vel tres alternæ & diſtantes in culmorum ſummitate, patentiſſimæ, & duas tresve uncias longæ. Rhachis membranacea, tenuis, fuscescens, canaliculata, connivens, glabra. Flores numeroſi, breviſſime pedicellati, in duplice ſerie longitudinali ad dorſum internum rhachis poſiti. Calycis bivalvis glumæ ovatæ, acutæ, concavæ, integerrimæ, erectæ, pallide virentes, foris hirſutiſſimæ. Corollæ bivalvis valvulæ calyci ſimiles, ſed glaberrimæ. Filamenta tria, capillaria, debilia, calycem ſuperantia. Antheræ oblongæ, utrinque bifidæ, flavæ. Germen ſubrotundum. Styli duo, filiformes, longitudine ſtaminum, erecti. Stigmata linearia, longa, rufa, hirſuta. Tabula repræſentat trium culmorum partem ſuperiorem, alius culmi partem inferiorem, portionem dimidiatam rhachis cum floribus; deinde aucta rhachis expanſæ partem cum cicatricibus florum avulſorum, calycem, corollam cum genitalibus, & piſtillum.

193. COBAEA SCANDENS. *Cavan.* Tab. 87.

Planta elegans, fruticoſa, glabra & ſempervirens, crescit in Mexico; apud nos æſtatem ſub dio, hiemem degit in caldario, florens Majo & ſequentibus, fructescens ſero autumno. Radix craſſe fibroſa, copioſa. Caulis unicus, brevi ſupra ortum bifidus vel trifidus, ſcilicet in totidem caules diviſus ſecundarios, teretes, vix digitum minimum craſſos, flexiles, debiliſſimos, leviter compreſſiles, ramoſiſſimos, ſcandentes, apud nos jam vigintipedales, quaquavorſum

vicinis se affigentes, etiam dependentes, ex fusco cinereos; ramis junioribus purpurascentibus. Folia alterna, omnino numerosa, cirrose pinnata, trijuga. Costa teres, patens, a duabus ad tres uncias longa. Pinnæ oppositæ, breviter petiolatæ, ex oblongo ovatæ, acutæ, integerrimæ, venosulæ, a duabus ad quatuor uncias longæ cum paginæ interioris basi breviore, infimæ subhastatæ & sic ramo, unde oriuntur, proximæ, ut hoc respectu costa dici sessilis mereatur. Cirri subdichotomi, longi, graciles, tandem spiraliter convoluti, interne purpurascentes, foris virides. Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, basi ut plurimum incurvati, penna columbina duplo crassiores, teretes, a quinque ad novem uncias longi, inferne duabus bracteis pinnatis oppositis parvisque ornati, antrorsum porrecti vel curvato-pendulini. Flores inodori, magni. Calyx glaucescit. Petalum in principio pallide viret, dein evadit violaceum. Filamenta & pistillum pallent. Antheræ sordide purpurascunt. Pollen flavet. Capsula glabra pallescit. Semina sunt fusca. In tabula exhibentur ramulus florens; faucis fundus, ut filamentorum ortus spectari possit; germen glandula sua cinctum; capsula; receptaculum; & semen.

Cal: Perianthium monophyllum, profunde quinquepartitum, patens, petalo duplo brevius, quinqueplicatum; laciniis ovatis, cuspidatis, integerrimis, venosis.

Cor: monopetala, campanulata, striata. Tubus brevis, subpentagonus. Faux cylindrica, ampla, erecta. Limbus quinquepartitus, patens; laciniis late subrotundis, obtusis.

Stam: Filamenta quinque, filiformia, declinata, ex fundo faucis corollæ orta, basi incrassata & barbata, tandem corollam superantia. Antheræ lineares, incumbentes.

Pist: Germen ovatum, quinquesulcatum, superum, cinctum corpore glanduloso quinqueradiato & decemsulcato. Stylus filiformis, declinatus, staminibus brevior. Stigma trifidum; laciniis linearibus.

Per: Capsula oblonga, trilocularis, trivalvis.

Sem: pluscula, subovata, plana, imbricatim receptaculo triquetro liberoque affixa.

194. DOLICHOS MOLLIS. Tab. 88. Fig. 1.

Planta hæc in horti Schönbrunnensis caldario fruticosa & volubilis per plurimos annos viguit floruitque, sed nullum unquam fructum produxit: hinc generis adhucdum dubii, forte Dolichi species; ante paucos tandem annos periit; patriæ ignotæ. Caules, folia utrinque, pedunculi, calyces, & vexillum externe, ad lentem minutissime villosa sunt, hinc mollia ad tactum omnia; oculo nudo fere glabra. Rami subvolubiles ex caule lignoso decempedali. Stipulæ & bracteæ nullæ. Folia ternata, alterna, petiolata; foliolis acuminatis, integerrimis, venulosis; lateralibus subovatis, medio rhombeo. Pedunculi axillares, unciales, racemosi, patentes, sustinentes a tribus ad sex flores brevissime pedicellatos. Corolla tota ex flavo pallet. Perianthium monophyllum, ad medietatem usque quadrifidum; dentibus lanceolatis, acuminatis, erectis, infimo paulo longiori & angustiori. Corolla papilionacea. Vexillum ovatum, obtusum, integerrimum, patulum, callis nullis donatum, sed denticulis binis. Alæ duæ, oblongæ, obtusæ, angustæ, erectæ, basi biunguiculatæ, vexillo paulo breviores. Carina bifida, arcuato-oblonga, obtusa, erecta, longitudine alarum. Filamenta diadelpha, simplex & novemfidum, alba. Antheræ subrotundæ, flavæ. Germen oblongum, compressum, hirsutum. Stylus filiformis, superne glaber. Stigma simplex, crassulum. Tabula sistit ramulum florentem; & aucta perianthium, vexillum, alam & carinam.

195. IXIA. Tab. 88. Fig. 2.

Ante plurimos annos in horto Schönbrunnenfi hæc planta floruit, ex Promontorio bonæ fpei miffa; fubfequis annis ultra non vifa. Ne pereat ejus memoria, figuram tunc factam huic operi infero; defcriptionem enim neglexeram, quam nunc ad iconem concinnare nolo. Forte ad aliquam ex jam notis numerofis Ixiis ceu varietas pertinet; fed nihil determino.

196. CRASSULA GLOMERATA. *Linn.* Tab. 88. Fig. 3.

Patria eft Promontorium bonæ Spei. Apud nos fub dio floret Junio & Julio. Radix annua & gracilis caulem emittit filiformem, debiliffimum, erectum in plantula pufilla unguiculari, procumbentem in triunciali, teretem, purpurascentem, glabrum, fuperne dichotomum. Folia oppofita, lanceolata, carnofa, acutula, feffilia, patentiffima. Flores terminales, aggregati, vix pedunculati. Calyx monophyllus, quinquepartitus, villofulus; foliolis ovatis, acutis, convexulis, patentibus, apice pauci-ariftatis. Petala quinque, alba, ovata, acutula, apice pauci-ciliata, patentia, calyce triplo minora. Filamenta quinque, breviffima, alba. Antheræ luteæ. Piftilla viridia. Tabula fiftit plantam majorem, aliam pufillam, auctumque florem.

197. BIGNONIA ADHATODAEFOLIA. *Jacq.* Tab. 89.

Ex Caracas adlata floruit in caldario Junio & Julio, tota glabra & inodora, fruticofa, & fcandens ad viginti pedum altitudinem. Truncus teres, cinereus, uncialis diametri. Rami calamum vel digitum craffi, teretes. Folia oppofita, conjugata omnia. Petiolus communis teres, cinereus, firmus, femuncialis, terminatus cirro fimplici & longo. Partiales virides, teretes, parumper antice canaliculati, unciales. Foliola ovato-lanceolata, acuminata, integerrima, utrinque virentia, dorfo pallidius, venofa imprimis fubtus, novemuncialia, foliis Jufticiæ Adhatodæ fimillima, nifi quod fint magis coriacea. Pedunculi axillares, racemofi, fubfexflori, plus minus biunciales. Pedicelli oppofiti, breves. Calyx virens, fuperne flavescens, tubulofus cum ore integerrimo. Corolla tota lutea, biuncialis. Tubus cylindraceus, brevis. Faux longiffima, compreffa, dorfo bifulcata, intus fasciis duabus rubigineo-punctatis notata. Limbus fubbilabiatus, patentiffimus; laciniis fubrotundis, duabus fuperioribus paulo minoribus & ad latus mutuo leviter incumbentibus. Filamenta quatuor, fauce fere duplo breviora, pallide flava, duo aliis multo longiora, cum rudimento quinti breviffimo, bafi craffiore pubescentia. Antheræ didymæ. Fructum non tulit. In tabula fiftuntur pars ramuli florentis, & corollæ diffectæ pars interior cum labio fuperiori & contentis ftaminibus.

198. SALVIA INTERRUPTA. *Schousb.* Tab. 90.

Floret æftate fub dio menfibus Majo & Junio, hiemem in tepidario fervanda, fic ex novis ramis fempervirens. Odore pollet aromatico forti, Sclareæ quiddam habente. Caulis fuffruticofus, erectus, tripedalis, fenior fuscus, tetragonus, villofulus. Folia oppofita, interrupte pinnata, bijuga vel trijuga. Petioli villofi. Foliola lanceolata, acutula, crenulata, utrinque rugofiffima, craffula, fupra atrovirentia, fubtus pallide virentia & villofa, breviffime petiolata, inferiora minora, terminale multo majus. Flores verticillati, utrinque a duobus ad quinque, breviter pedicellati, plus quam unciales. Calyx compreffus, ftriatus, villis ca-

pitatis glutinofus, apice bilabiatus, dentibus acutis. Corolla glabra, ringens, albida, calyce duplo longior. Galea oblonga, emarginata, erecta, compreffa, connivens. Labium antrorfum protrufum, trilobum; lobis lateralibus reflexis, parvis; intermedio fubrotundo, emarginato, maximo. Faux ftriata. Antheræ albidæ, oblongæ. Stylus galea longior. Semina fubrotunda, glabra. Crescit in Barbaria.

199. PLECTRANTHUS PANICULATUS. *Jacq.* Tab. 91.

Sub dio floret Junio & Julio; hiemem agit in tepidario, fuffruticofus, odore præditus aromatico, Saturejæ quiddam habente, ex patria mihi ignota. Caulis aut unicus, aut pauci, aut numerofi, paniculatus, erectus, fubcarnofus, tripedalis, bafi digitum craffus & teres, dein una cum ramis ramulisque magis minusve tetragonus & purpurascens. Rami juniores ad lentem villofuli funt. Folia oppofita, petiolata, ovata cum bafi transverfa integerrima, acuta, ferrata, utrinque rugofa & villofa, fordide virentia, craffula, patentiffima, majora biuncialia cum petiolo ejusdem longitudinis. Racemi terminales, verticillati, bracteis deftituti, elongati, erecti, fimpliciffimi vel ramofi. Pedunculi aggregati, a duobus ad fex ex iisdem punctis oppofitis, uniflori, filiformes, breves, patentiffimi. Calycis virentis vel purpurascentis labium fuperius late ovatum, acutum, adfcendens, tandem convexum; labium inferius quadrifidum; dentibus lanceolato-fubulatis, acuminatis, duobus inferioribus paulo longioribus. Corolla monopetala, ringens, refupinata. Tubus cylindraceus, calyce longior, albus, fupra calycem in gibbum longum elevatus. Galea ex fubrotundo-ovata, concava, obtufa, integerrima, alba, fitu inferior. Labium fitu fuperius, galeæ oppofitum, trifidum, cæruleum; laciniis rotundatis, obtufis; lateralibus parvis; media biloba. Filamenta quatuor, didynama, incumbentia galeæ. Antheræ cæruleæ. Stylus fitu & longitudine ftaminum. Stigma bifidum, erectum, patens. Semina quatuor, fubrotunda, nigra, nitida, parva, in fundo calycis. Tabula repræfentat caulis florentis fummam partem, trunci abfciffi infimam cum radicibus, auctam corollam anticam, eandem averfam, auctumque calycem.

200. GOODENIA APPENDICULATA. *Jacq.* Tab. 92.

Crescit in Nova Hollandia. Apud nos floret fub dio a Majo ad Octobrim, ante hiemem transferenda in tepidarium. Caulis tandem tripedalis, fuffruticofus, erectus, villofus, calamum craffus, teres, ftriatus. Folia alterna, tota villofa, cordata, acuta, ferrata, venofa, mollia; plus minus biuncialia cum petiolo ejusdem longitudinis, fuperiora fimplicia, inferiora appendiculata ex foliolis utrinque ut plurimum duobus feffilibus parvis ceterum folio fimilibus. Bracteæ geminæ, lanceolato-lineares, acutæ villofæ, breves, infertæ fupra ipfam bafin cujusque pedunculi, patulæ. Pedunculi uniflori, axillares, folitarii, infra florem fubgeniculati, villofi, ftriatuli, patentes, longitudine petiolorum. Flores leniter fuaveolentes, erecti. Perianthii pentaphylli fuperi & perfiftentis foliola lanceolata, acuta, villofa, petalo triplo breviora. Corolla flava, fupera, tripetala. Petala duo fuperiora indivifa, cuneiformia, obtufa, fubunguiculata, erecta, fæpe fuperne divaricata. Petalum tertium inferius ex bafi canaliculata erectaque abiens in limbum trilobum & patentem; laciniis obverfe ovatis obtufisque. Filamenta quinque, fubulata, erecta, primo longitudine ftigmatis, dein ftylo increscente breviora & recurvata. Antheræ oblongæ, erectæ. Germen inferum, turbinatum. Stylus filiformis, craffus, purpureus, hirfutus. Stigma urceolatum, magnum, intus rubens, margine albo cinctum, primo erectum, deinde nutans. Genitalia dorfo inter petala duo fuperiora magis minusve exferuntur. Capfula turbinata, calyce emarcido coronata, fusca, bilocu-

laris, bivalvis; diſſepimento valvulis parallelo, in duos dentes retuſo. Semina plura, ſubrotunda, compreſſa. Tabula ſiſtit magnam partem caulis florentis; tum ex una parte in magnitudine naturali capſulam cum calyce, ejusdem alteram valvulam cum diſſepimento adhærente, diſſepimentum liberum, & ſemen; ex altera parte aucta genitalia, omnia erecta ante fœcundationem; dein eadem poſt fœcundationem peractam.

201. BOCCONIA CORDATA. *Wilden.* Tab. 93. Fig. 1.

In China ſponte crescit; floret apud nos in tepidario Julio & Auguſto. Caulis ſuffruticoſus, bipedalis, calamum craſſus, teres, glaber, rore glauco tectus, erectus. Folia ſunt alterna, petiolata, baſi cordata, fere ſubrotunda, obtuſa, obtuſe lobato-ſinuata, dentata, ſupra glauca & ad lentem villoſula, ſubtus tomentoſa incana & venis exſtantibus reticulata, plus minus triuncialia cum petiolo glauco tereti duas tresve uncias longo & ad baſin hirtello. Racemus terminalis, erectus, compoſitus, ſemipedalis. Pedunculi partiales pauciflori, ſemunciales, patuli. Pedicelli breves. Bracteæ parvæ ad omnes pedunculos. Calycis diphylli foliola oblonga, obtuſa, navicularia, caduca. Corolla nulla. Stamina plus minus viginti quatuor, fere longitudine foliolorum calycis, in quibus plura latent, una cum his decidua. Germen ſuperum, obverſe ovatum. Stylus vix ullus. Stigma capitatum, ſubbilamellatum. Pericarpium ovale, compreſſum, coriaceum, pedicellatum, uniloculare. Semina quatuor vel quinque, oblonga, utrique margini compreſſo pericarpii adhærentia; quod maturum haud vidi. Tota planta ſucco ſcatet aurantiaco. Tabula exhibet ſummitatem caulis florentis; auctum florem; auctumque pericarpium immaturum & longitudinaliter ſectum, ſic ut omnia ſemina conſpiciantur.

202. In ejusdem Tabulæ 93. Figuris 2. 4. & 5. tres exhibentur ſtirpes, modo ex terra ſurgentes, cum cotyledonibus ſuis primisque foliis, ut illæ, quod jam aliquoties a me factum eſt, innotescant. Prima eſt Gyrocarpus ille, quem celeberrimus Roxburgh deſcribit delineatque in ſplendiſſima Flora ſua Coromandeliana mox prima in tabula. Hanc ſtirpem hortus botanicus noſter debet benevolentiæ Roxburghii, qui ſemina cum pluribus aliis miſit. Cotyledones ſingulares ſunt, non ſic eroſæ aut laceratæ, uti credi poſſet, ſed, quod in fructu inter ſeſe ſunt varie involutæ, ita efformatæ evolvuntur. Opinatus eſt vir celeberrimus, ſuam plantam eſſe ſpecie eandem cum illa mea, quam in Stirpibus Americanis Gyrocarpum dixi. Non præciſe hoc nego, ſed tamen ſcrupulus manet ob diverſam fructus utriusque magnitudinem. Quare partem paniculæ fructescentis ex arbore Roxburghiana hic pingi curavi, & ſimul ſub figura tertia fructum ſingularem arboris meæ, ut diſcrimen pateat; hanc *Gyrocarpum* vocans *americanum*, illam *asiaticum*. Fructus hujus Aſiatici, in altum jacti, non in tales tamque continuos circumvolvuntur gyros, uti ſolent Americani. Figura hujus tabulæ quarta dat cotyledones Hæmatoxyli campechiani, quinta Hedyſari gyrantis.

203. JACQUINIA ARBOREA. *Vahl.* Tab. 94.

Arbuscula ſempervirens, erecta, tota glabra, apud nos a tribus ad ſex pedes alta, in ſolo natali a quatuor ad triginta, caule ramisque nullibi nodoſis, cortice cinereo. Folia ſparſa, ſæpe ſubfrondoſa, cuneiformia, integerrima, obtuſa, aut emarginata cum mucrone exiguo ſed ſæpe abſente, fere avenia, nervo medio ſubtus inſignita, coriacea, firma, pallide virentia, ex brevi petiolo orta, duas tresve uncias longa. Racemi terminales, plerumque ſolitarii,

erecti, fere triunciales. Flores ſuaveolentes, a duodecim ad viginti, pedicello inſtructi ſemunciali, ſuperiora verſus incraſſatulo. Perianthii parvi, inferi, quinquepartiti & perſiſtentis foliola ſubrotunda, obtuſa, concava, erecta. Corollæ monopetalæ & albæ tubus infundibuliformis, erectus, interne flavescens. Limbus tubo brevior, patentiſſimus, decemfidus; laciniis ſubrotundis, obtuſis, alternis quinque interioribus multoque minoribus. Filamenta quinque, lanceolato-acuminata, plana, erecta, flavescentia, longitudine tubi corollæ, & illi ſupra baſin inſerta. Antheræ haſtatæ, erectæ, flavæ. Germen ſuperum, ovatum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum. Fructum non tulit; pedicellos enim brevi dimiſit. Ex germine, transverſim disciſſo, & lente aucto, unicum ſemen adeſſe conjeci. Floruit in caldario menſibus Martio & Aprili. Ante 19 annos ex Caracas in hortum Schönbrunnenſem translatæ fuerunt aliquot hujus ſpeciei arbusculæ ſub titulo Jacquiniæ armillaris, quarum una tandem anno 1807 primos flores produxit; qui abunde docuerunt hanc ab armillari differre. Opinor, eſſe illam, quam Vahlius in Eclogis ſuis nominavit arboream, & quam illuſtris Ryan primus diſtinxit, autopta utriusque. Jacquiniam armillarem non ultra poſſidemus in hortis noſtris, in quibus floruiſſe vidi ante quadraginta quinque annos, adlatam anno 1756 ex Martinica. Linnæus in Generibus ſuis anno 1764 editis dicit, in Jacquinia filamenta eſſe ex receptaculo exorta contra Löflingii meamque aſſertionem anteriorem ex vivis plantis in loco natali deſumptam, & in Jacquinia arborea iterum nunc confirmatam. Tabula ſiſtit ramulum florentem; dein aucta corollam longitudinaliter disciſſam, calycem, ſtylumque.

204. JACQUINIA REVOLUTA. *Jacq.* Tab. 95. Fig. 1.

Etiam eodem tempore ab iisdem hortulanis ex Caracas advenerunt aliæ plusculæ arbusculæ ſub titulo Jacquiniæ novæ; & hæ vel ſolis foliis a Jacquiniis cognitis reliquis ilico dignoscuntur, in caldariis horti Schönbrunnenſis lætiſſime vegetant; ſed necdum ullo nos flore bearunt. Ut ne hujus memoria ſpeciei pereat, in hac tabula ramulum pictum expoſui cum addita deſcriptione. Arbuscula tota glabra, erecta, quinquepedalis, ſemper virens. Rami teretes, cinerei, ſæpe inordinate pauci verticillati, ad ortum ſquamis minutis nitidis badiis acutisque ornati. Folia ſparſa, ad ortum ramorum ſubfrondoſa, breviter petiolata, oblonga, integerrima, ſæpius mucronata & parum pungentia, ad oras valde revoluta, hinc nonnunquam convexula, avenia, pallide virentia, coriacea, firma, a dimidia ad ſescunciam longa. Nodi incraſſati in ramis nulli.

205. JACQUINIA ARISTATA. *Jacq.* Tab. 95. Fig. 2.

Et hæc quoque ex Caracas advecta cum prioribus duabus ſub titulo Jacquiniæ ruscifoliæ fuit; quæ in caldario læte crescit, jam octo alta pedes, & tandem prima vice anno 1807 floruit menſe Martio. Truncus diametro unciam æquat. Rami nullibi nodoſi. Cortex cinereus. Folia in ramis junioribus approximata, ſparſa, breviſſime petiolata, lanceolata, integerrima, ad oras leviter revoluta, rigida, parum venoſa, glabra, facie nitida & virentia, ſubtus pallida, terminata mucrone longo ſubulato & valde pungente, qui ariſta vel ſpina dici poſſet. Ad ortum novorum ramorum ſtant paleæ lineares, fuscescentes, debiles, deciduæ. Racemus florum ſimplex, terminalis, erectiusculus vel reclinatus, plus minus uncialis. Pedicelli proprii ſemunciales. Calyx viridis, inferus, quinquepartitus, obtuſus, erectus, perſiſtens. Corolla tota miniata. Tubus calyce longior, ſubcampanulatus. Limbus longitudine tubi, decemfidus, patentiſſimus; laciniis oblongis, obtuſis, interioribus quinque brevioribus. Filamenta quinque, ex fundo tubi corollæ nec ex receptaculo orta, ſubulata, erecta, fla-

vescentia, longitudine faucis. Antheræ haſtatæ, flavæ, conniventes. Germen ovatum, uniloculare, monoſpermum, ad maturitatem non pervenit. In tabula habetur ramulus florens; dein aucta corolla cum ſtaminibus longitudinaliter diſciſſa, calyx, & piſtillum.

206. LOBELIA BICOLOR. *Jacq.* Tab. 95. Fig. 3.

Planta annua, cujus locus natalis mihi ignotus est, modo tota glabra & nitida; modo tota vel partim hirtula. Radix fibroſa. Caulis erectus, ſemipedalis, angulatus, ramoſus imprimis inferne & ex ipſa baſi; ramis adſcendentibus. Folia alterna, ſubſeſſilia, paucidentata, ſubtus ſæpe lividula, inferiora ovata & obtuſula, reliqua lanceolata & acuta, ſumma anguſta & integerrima, longiora uncialia. Pedunculi axillares, uniflori, ſolitarii, filiformes, patuli, foliis longiores. Flores ſubnutantes. Perianthii foliola quinque, lanceolato-linearia, acuta, glabra, patula. Corolla bilabiata, in aliis floribus ejusdem plantæ alba, in aliis cærulea. Labii ſuperioris laciniæ duæ, lineares, concavæ, parvæ, acutulæ, erectæ. Labii inferioris laciniæ tres, lanceolatæ, planæ, antrorſum protenſæ, baſi albidæ cum puncto ſingulæ cæruleo. Floret ſub dio Auguſto & Septembri.

207. CELSIA BETONICIFOLIA. *Desfont.* Tab. 96.

Sponte crescit in agris incultis Algeriæ. Apud nos floret altero anno Junio & Julio, fructeſcit Auguſto & Septembri. Radix biennis. Caulis teres, glaber, tripedalis, erectus, tandem ex ramis virgatis & erectiusculis paniculatus. Folia alterna, ovata vel magis oblonga, acuta, ſerrata, breviſſime petiolata, venoſa, ſuperiora ſucceſſive multo minora. Caulis ramique terminantur in racemos elongatos. Pedicelli patentiſſimi, ſemunciales. Bracteæ lanceolatæ, acutæ, inferne denticulatæ, breves. Perianthii quinquepartiti & perſiſtentis foliola ovata, acuta, nitida, viridia, pilis capitatis ciliata & ſubtus tecta. Corolla ampla, lutea, rotata, veluti bilabiata, patentiſſima, quinquefida; lobis rotundatis, duobus ſuperioribus minoribus & interne in baſi connata pictis macula ſubrotunda atropurpurea ad lentem denticulata & in facie pilis violaceis ornata. Filamenta duo ſuperiora ſunt breviſſima, maculæ modo memoratæ accumbentia, aurantiaca, pilis clavatis in toto fere decurſu denſe inſtructa. Antheræ oblongæ, fuscæ. Filamenta duo inferiora declinata, ſurſum arcuata, fere longitudine corollæ, albida, inferne uno alterove fasciculo pilorum capitatorum & purpurascentium prædita. Antheræ lineares, adnatæ. Germen ſuperum, ſubrotundum. Stylus filiformis, glaber, purpureus, ſitu & longitudine ſtaminum inferiorum. Stigma ſimplex. Capſula orbicularis, piſi magnitudine, calyci inſidens, dura, nitida, fusca, bilocularis, bivalvis. Semina numeroſa, parva, rugoſa, fusca. Tabula exhibet totam plantam cum ramis truncatis, & capſulam; aucta filamenti inferioris partem, ſtamen ſuperius, foliolum calycinum; & baſin laciniæ ſuperioris petali.

208. CELSIA HETEROPHYLLA. *H. paris.* Tab. 97.

Patria mihi ignota eſt. Ex horto Pariſino ſub dicto titulo ſemina accepimus. Floret apud nos Junio & Julio. Semina perficit Septembri. Tota inodora eſt. Radix biennis. Caulis unus alterve, erectus, bipedalis, teres; baſi calamum craſſus, purpurascens & villis mollibus cinereisque denſe obſitus; ſupra medium cum ramis ſuperioribus viridis & glaber. Folia ſunt alterna, petiolata, glabra, ſerrata, acuta, venoſa; inferiora pinnata, ſubſequa ternata,

reliqua ſimplicia. Foliola lanceolata; terminali magno & longo; reliqua ſeſſilia, parva & plerumque trijuga. Bracteæ ad pedicellos cordatæ, acuminatæ, integerrimæ, ſeſſiles, ſuperiores ſenſim minores. Racemi in caule & ramis terminales, longi, erecti. Calycis quinquepartiti foliola oblonga, acuta, glabra, virentia. Corollæ rotatæ, flavæ, & patentiſſimæ; laciniis ſubæqualibus, obverſe ovatis, rotundatis. Filamenta quatuor, alba, petalis duplo breviora, erecta, omnia in uno latere tota denſe hirſuta pilis ſetaceis albis & apice clavatis, quorum duo paulo breviora. Antheræ oblongæ, adnatæ, luteæ. Germen ſubrotundum, glabrum. Stylus filiformis, glaber, declinatus, albus, longitudine corollæ. Stigma capitatulum. Capſula ſubrotunda, glabra, bilocularis, piſello minor. Semina minuta. Tabula ſiſtit caulis florentis partem ſuperiorem & infimam.

209. SIDA GRAVEOLENS. *Roxb.* Tab. 98.

Creſcit in Coromandelia, unde ſub dicto titulo illuſtris Roxburgh ſemina miſit. Apud nos in caldario floret a Julio ad Septembrim. Tota odoris aromatici fortis & gravis; in primis folia primum prodeuntia petiolique, quæ ſimul viscoſa ſunt. Caulis fruticoſus, erectus, teres, hirſutus. Folia ſunt alterna, longe petiolata, cordato-ſubrotunda, acuta, crenata, venoſa, novemnervia, ſupra villoſa, ſubtus tomentoſa & mollia, majora ſemipedalia cum petiolis teretibus hirſutis & ad minus æque longis. Stipulæ ſublineares, acutæ, villoſæ, reflexæ. Pedunculi uniflori, axillares, ſolitarii, petiolo breviores, teretes, hirſuti, infra florem geniculati. Calycis ſimplicis, ſemiquinqueſidi, hirſuti, patentiſſimi & perſiſtentis, laciniæ ovatæ, acuminatæ, concavæ. Corolla diametri ſescuncialis, lutea cum baſi interiore rubra, calyce paulo longior; petalis amplis & patentiſſimis. Antheræ luteæ. Capſulæ circiter viginti, margine tomentoſæ, cæterum nitidæ & nigræ, compreſſo-planæ, uniloculares, interne bivalves, muticæ, in orbem ſuperne planum mutuo denſe appoſitæ. Semina reniformia, ad lentem rugoſula, ab unico ad tria. In tabula exhibentur pars caulis florentis, fructus maturus, una capſula, ſemen, & calyx poſt delapſum fructum.

210. CAPSICUM BICOLOR. *Jacq.* Tab. 99. Fig. 1.

Sub dio floret Julio & Auguſto, hieme fructescens in caldario. Patriam ignoro. Totum glabrum eſt. Caulis fruticoſus, bipedalis, inferne duplo craſſior calamo, teres, ex fusco cinereus, erectus, ſtriatulus nec tamen ſcaber. Rami erectiusculi, alterni, folioſi, angulati, ſublividi, ſuperne diviſi & ſubdichotomi. Folia alterna, petiolata, lanceolata, acuminata, integerrima, ſubtus venoſa virentia nitidulaque, ſupra atrovirentia cum livore, ſine petiolis plus minus biuncialia, ad pedunculos ſæpe gemella, primum prodeuntia utrinque læte virentia. Pedunculi uniflori, ſolitarii vel gemini, erectiusculi, lividi, ſtriati, ſemunciales. Flores cernui. Calyx parvus, urceolatus, ſtriatus, minutiſſime dentatus, atroviolaceus. Corolla rotata, ſemiquinqueſida, bicolor, ſcilicet utrinque inferne alba & ſuperne violacea; laciniis ovatis & acutis. Vidi etiam ſexpartitas, rariſſime ſeptemfidas, cum totidem ſtaminibus. Antheræ ſunt oblongæ, erectæ, petalo duplo breviores, fuscæ cum polline cinereo. Stylus violaceus. Bacca oblonga, nitida, ex livido rubra, ſapore acri. Semina pallide flava.

211. MESEMBRYANTHEMUM SUAVEOLENS. *Jacq.* Tab. 99. Fig. 2.

Promontorium bonæ Spei patria eſt. Apud nos floret Julio & Auguſto. Radix fuſiformis, gracilis, fibrillis aucta, albicans, annua. Caulis baſi procumbens, dein erectus, ramo-

ſus, vix ſemipedalis, purpureus. Folia oppoſita & alterna, in petiolum ſeſſilem decurrentia, lanceolata vel oblonga, integerrima, obtuſula, plana, ab unica ad tres uncias longa, tota quanta papulis cryſtallinis obſeſſa, uti ipſe etiam caulis, rami, pedunculi & calyces. Pedunculi in ramulis terminales, uniflori, teretes, tres quatuorve uncias longi, erecti, ſolitarii. Flores leviter ſuaveolentes, pulchri, diametri ſescuncialis. Calycis quinquepartiti & patentiſſimi foliola tria ex ovata baſi oblonga & obtuſiſſima; reliqua duo ſubovata & per membranam hyalinam cincta. Petala numeroſa, ſublinearia, acutula, plana, patentiſſima, albida, ad apicem & baſin rubella. Filamenta numeroſa, ſubulata, brevia, in conum aſſurgentia, rubra, nitida. Antheræ luteæ. Germen ſubrotundum, depreſſum, viride, nitidum, nudum. Styli quinque, lanceolati, erecti, rubri. Stigmata acuminata, ſimplicia. Capſula quinquelocularis. Figura repræſentat totam plantam florentem; dein piſtillum; idemque auctum.

212. CASSIA COROMANDELIANA. *Jacq.* Tab. 100.

Ex ſeminibus ſine titulo ante aliquot annos ex Coromandelia transmiſſis in horto botanico Vindobonenſi arbuſculæ germinarunt, jam tripedales & ultra, totæ glabræ, ſuperne ramoſæ, erectæ, Septembri & Octobri in caldario florentes, Februario fructescentes, trunco digitum minimum craſſo ramisque teretibus. Folia ſunt alterna, pinnata, ab octo ad decemjuga, patentiſſima. Coſta teres, a quatuor ad octo uncias longa, ſupra baſin gerens glandulam oblongam teretem & antrorſum porrectam. Foliola oppoſita, breviſſime petiolata, longe lanceolata, acuta, integerrima, a ſescuncia ad duas cum dimidia uncias longa, trita fætidula. Racemus terminalis, compoſitus, erectus, pedunculis inferioribus trifloris, reliquis etiam plures flores pedicellatos ſuſtinentibus. Calyx cum flavedine viret; foliolis plerumque tribus ſubrotundis, duobus aliis oblongis & duplo longioribus. Petala tota lutea, obverſe ovata, ſtriatula, patentiſſima, ſemuncialia. Stamina uti in charactere Linnæano. Germen compreſſulum, per lentem villoſulum. Siliqua fusca, ſubteres, obtuſa, bivalvis. Semina plura, diſſepimentis tenuiſſimis ſubdiſtincta. Siſtuntur ramus florens, ſiliqua & ſemen.

213. CASSIA CORYMBOSA. *Lamarck.* Tab. 101. Fig. 1.

Sempervirens floret apud nos a Junio ad Septembrim in caldario, etiam æſtate ſub dio, fructum maturans Februario. Sponte crescit in Braſilia ad Buenos Ayres. Caulis fruticoſus, novempedalis, pollicem baſi craſſus, teres, ad tactum rudis & ſcabriusculus, impubes, erectus. Rami plures ex toto caulis decurſu, cauli ſimiles & ejusdem altitudinis. Rami juniores virgati, glabri, ad lentem punctatuli. Caulis & omnes rami ſunt debiles, ut erecti manere ſine ſuſtentaculó nequeant, ſaltem ſic in cultis noſtris. Omnes rami, ſuperne folioſi, ſimul elegantem & amplum formant corymbum; corymbos autem minores brevesque ſinguli ramuli ultimi; ex foliis minoribus alternis pedunculisque racemoſis gemellis & ſubterminalibus denſe compoſiti. Stipulæ & bracteæ nullæ. Folia alterna, trijuga, glabra. Coſta in foliis majoribus duas cum dimidia uncias longa, patens. Foliola oppoſita, breviſſime petiolata, longius lanceolata, integerrima, acuta, nonnunquam ſubfalcata, virentia, ſuperiora majora. Inter ſingula duo paria inferiora (nec duo extima, nec alibi in coſta) glandula locatur ſubclavata, erecta, viridis cum altero apicis latere fusco. Pedunculi plus minus foliorum longitudine, ſubquinqueflori, glabri; pedicellis ſemuncialibus. Flos ſtructura congenerum. Calycis foliola inæqualia, glabra, cum virore flaventia. Petala lutea, obverſe ovata, obtuſa, concava, patentiſſima, inæqualia. Germen falcatum, declinatum. Stylus filiformis. Stigma ſimplex. Siliqua teres, glabra, modo recta, modo falcata, fusca, pendula, plus minus tres uncias longa,

calamum craſſa, bivalvis. Semina ſubovata, compreſſula, fusca, ſingula ab invicem per membranam transverſam tenuiſſimamque diſtincta. Pulpa omnino nulla. Tabulæ figura prima repræſentat ramum florentem, ſiliquas, ſemen, ſiliquæ portionem internam; auctamque glandulam.

214. EUPHORBIA BUPLEURIFOLIA. *Jacq.* Tab. 101. Fig. 2.

Hujus plantæ deſcriptionem figuramque dedi in Horto Schönbrunnenſi. Ex pluribus individuis lætiſſime vegetantibus unicum tandem fructum maturum obtinuimus, quem in hac tabula exhibeo cum pedunculo & involucro, dein ſeorſim ſemen, idemque auctum.

215. SANSEVIERIA SARMENTOSA. *Jacq.* Tab. 102.

Tota inodora glabra & ſempervirens, ex China dicitur orta. Floret in caldario ab Auguſto ad Octobrim, fructu huc usque caret. Caulis repens, diffuſe ramoſus & ſarmentoſus, teres, calamum craſſus, varie ſoboliferus, foliorum præteritorum circulis notatus cinereis, undique fibras radicales in terram emittens longas pennamque columbinam craſſas, apice folioſo adſcendens. Scilicet foliorum fasciculus ſeſſilium coronat caulem ramosque, oppoſito ſitu imbricatim mutuo amplexantium, quæ ſunt enſiformia, acuta, graminoſa, carinata ſubtus, nitida, læte virentia, erecta vel reclinata, longiora pedalia & ſemunciam lata. Ex centro horum fasciculorum ſcapus exoritur ſescuncialis, calamum craſſus, teres, erectus, purpureus, terminatus in ſpicam denſam erectam & biuncialem. Flores ſeſſiles, ſinguli ſuffulti bractea oblonga purpurea & erecta. His perianthium nullum. Corolla monopetala, infera, foris purpurea, intus albida. Tubus cylindraceus, erectus, limbo paulo brevior. Limbus ſexfidus; laciniis oblongis, obtuſis, revolutis, æqualibus. Filamenta ſex, laciniis corollæ breviora, hujus fauci inſerta, ſubulata, erecta, alba. Antheræ oblongæ, didymæ, erectæ, flavæ. Germen ovatum, ſuperum. Stylus filiformis, erectus, longitudine ſtaminum, albus. Tabula repræſentat partem plantæ florentis; auctumque florem diſciſſum piſtillumque.

216. CREMASTOSTEMON CAPENSIS. *Jacq.* Tab. 103. Fig. 1.

Ab hortulano aulico Francisco Boos ex Promontorio bonæ Spei anno 1788 adlata fuit, & in horto Cæſareo Schönbrunnenſi prima vice copioſe floruit anno 1805 Junio & Julio ſub dio, dum hieme ſervatur ſempervirens in tepidario; arbor nunc novempedalis cum trunco carpum craſſo, tota glabra, ramoſa, ligno albo & duro. Rami teretes, fusci; juniores folioſi & obſolete tetragoni. Folia oppoſita, breviſſime petiolata, lanceolata vel obverſe ovata, baſi anguſtata, acutula, integerrima, facie nitida & læte virentia, dorſo pallidiora, laurinæ fere firmitatis, duas cum dimidia uncias longa. Pedunculi inter folia oppoſita & terminalia plerumque terni & terminales, compoſiti, breves, ſimul fasciculum florum formantes ovatum vel ſubrotundum erectumque. Pedicelli breves. Bracteolæ ad pedunculos communes & proprios parvæ. Flores odorati. Calyx inferus, albidus, hypocrateriformis. Tubus cylindraceus, inferne germini adnatus, erectus. Limbus tubo paulo brevior, patentiſſimus, in quinque vel quatuor, nonnunquam in ſex, lacinia diviſus lanceolatas acutulas & planas. In ſumma tubi calycini fauce alternatim cum ejusdem laciniis egrediuntur petala totidem parva, ſubrotunda, acutula, concava, alba & patentiſſima. Infra horum ſingulorum baſin oriuntur filamenta breviſſima propendula cum antheris ſubrotundis, ſubdidymis, flavis, etiam pendulis. Germen ſubrotundum, ſuperum, calyci craſſo adnatum. Stylus filiformis, erectus, tubo calycis duplo

brevior. Stigma ſimplex. Drupa ſubrotunda, rubra cum pauca pulpa rubra & dulci, rugoſula, piſi majoris magnitudine, cujus magnam partem calyx incraſſatus & factus pulpoſus conſtituit. Vertex autem ſoli debetur germini. Nux ſubrotunda, longitudinaliter ſtriata, non dehiscens, quinquelocularis vel ſæpius quadrilocularis. Semina in quolibet loculamento ſolitaria, oblonga. Fructus lentiſſime increscunt, ultra annum virides & immaturi in arbore perſiſtunt; dein rubere & mollescere incipiunt, perguntque per alterum dimidium annum, quando fuscescunt ſiccantur & ſponte delabuntur. Interea flores novi hoc temporis intervallo non prodeunt. Ex κρεμαστός penſilis & στήμων ſtamen nomen genericum compoſui novum; nam quantumvis charactere floris cum Colletiis conveniat, fructu tamen habituque ipſo ab iisdem quam maxime discrepat. Quo hæc clarius oculo pateant, ad alterum latus ramuli florentis depingi curavi auctum calycem longitudinaliter diſſectum cum contentis petalis ſtaminibusque, & piſtillum cum adnata calycis baſi. In altero latere in volumine naturali eſt racemuli fructescentis pars, nux, & ſemen; dein aucta fructus integer, nux, fructus transverſim disciſſus, & ſemen.

217. CALENDULA DENTATA. *Vahl.* Tab. 103. Fig. 2.

Sub hoc titulo colitur hæc planta in Daniæ hortis, unde ſemina obtinuimus ſine patriæ nomine. Tota trita odorata, ſub dio floret Auguſto & Septembri. Radix ramoſa, annua. Caulis ſemipedalis & ultra, ramoſus, teres, hirtulus, erectus. Folia alterna, petiolata, rigidula, oblonga, ſinuato-dentata, ſcabriuscula, ad lentem hirtula, infima obtuſa & tres uncias longa, ſumma acutula & multo breviora. Pedunculi terminales, uniflori, erecti. Calycis foliola plus minus quindecim, lineari-lanceolata, acuta, villoſa. Corollulæ radii fere tot, quot ſunt foliola calycis, oblongæ, obtuſæ, luteæ. Semina obverſe ovata, glabra.

218. CORDIA MYXA. *Linn.* Tab. 103. Fig. 3.

Deſcriptio apud Commelinum aliosque habetur. Hanc figuram ſolummodo propterea hic edidi, ut ſingulares hujusce arboris cotyledones, quarum mentionem jam ſupra dictus auctor fecit, melius innotescant.

219. ROSA REPENS. *Scopol.* Tab. 104.

Ex radice longa, infra terram reptante, & ſic ſobolifera, caulis egreditur unus alterve, fruticoſus, teres, glaber, calamum & ultra craſſus, nitidus, a duobus ad quatuor pedes longus, aculeis ſparſis validis ex lata baſi ſubulatis & plerumque rectis ac horizontalibus armatus, totus humi inter frutices & gramina proſtratus, rarius radicans, debilis & flexilis. Ex toto hujus decurſu alternatim egrediuntur rami, qui erecti ſtant vel adſcendunt, ipſi ramoſuli, ſemipedales, etiam ſesquipedales, armati aculeis ut plurimum recurvis. Hi florigeri ſunt. Folia ſunt bijuga vel trijuga cum impari. Coſta biuncialis, villoſula, & pauci-aculeata, ſtipulam utrinque habet adnatam linearem acutam & ad lentem in oris denticulatam. Foliola ſunt oblonga vel ſubovata, acutula, ſerrata, glabra, breviſſime petiolata, ſuperiora majora, terminale ſæpe uncia longius. Pedunculi uniflori, ad baſin bractea lanceolata ſuffulti, a ſolitariis ad quatuor ſubcorymboſos, terminales, glabri, erecti, inferne geniculo articulato purpureo inſtructi. Flores parum odorati, diametro a ſescuncia ad duas cum dimidia uncias æquantes. Germen ſubgloboſum, inerme, glabrum, viride. Calycis foliola ovata, acumi-

nata, mucrone innocuo terminata, ad oras per lentem villoſa, cæterum glabra, modo integerrima omnia, modo unum alterumve per laciniam linearem ſubpinnatifidum. Petala obverſe cordata, tota albiſſima, patentiſſima. Antheræ flavæ. Styli in unam columnam arcte conjuncti, minime connati, erecti, longitudine ſtaminum, hic glabri. Stigmata capitata. Fructus ſubovatus, vel magis oblongus, aurantiacus, nitidus, inermis. Inter plurima ad Roſam arvenſem relata ab auctoribus ſynonima, ſola numero tria, quæ ad hanc meam repentem certiſſime pertinere arbitror, ſcilicet repentem Scopolianam, Ehrhartianam Roſam Herporhodon, & Caſparis Bauhini Roſam campeſtrem repentem albam. Reliqua excludo, partim tanquam incerta dubiaque, partim ceu vere mihi viſa aliena, nam Roſa Floræ Danicæ tab. 398 nihil commune habet cum hac mea, & Rothii Roſa arvenſis, frutex apud ipſum non raro decempedalis, robuſtus, ad noſtram certe minime facit. Frequens & copioſe creſcit, mixtim ſæpe cum Roſa ſpinoſiſſima cumque canina in ſilvaticis montis Cetii in Auſtria, florens Junio & initio Julii, fructescens Octobri. In tabula proponuntur caulis proſtrati & utrinque truncati portio aliqua cum tribus ramis florentibus, & ſeorſim fructus maturi. Aucti dein piſtilli pars ſuperior, idemque totum longitudinaliter ſectum.

220. ROSA BLANDA. *Aiton* Tab. 105.

Patria eſt Sinus Hudſonis & Terra Nova. Apud nos ſub dio floret Majo & Junio; fructeſcit Septembri. Radix ſub terra longe reptans novas plantas producit. Caules fruticoſi, plures, virgati, erecti, quinquepedales, teretes, baſi digitum minimum craſſi, juniores una cum ramis virides; adulti caſtanei nitidique. Caules e terra egreſſi ad pedalem usque altitudinem denſe armantur aculeis ſubulatis, albidis, gracilibus, rectis, horizontalibus, perſiſtentibus & proximo anno validioribus, ut caules adulti æque ſint aculeati quam primo erant anno. Folia etiam in coſta nonnunquam unum aliumve ſimilem aculeum gerunt. Cæterum in tota planta nullibi aculeum aut pilum detegere potui. Folia ſunt alterna, cum impari trijuga vel bijuga. Coſta biuncialis, cum adnata utrinque ſtipula acuminata & ſerrulata. Foliola oblonga, acuta, argute & ſubæqualiter ſerrata, breviſſime petiolata, virentia, ſubtus pallidius, ſuperiora ſucceſſive longiora, terminali plus minus biunciali. Pedunculi in ramulis terminales, plerumque gemelli, quorum unus uniflorus, alter ipſe bifidus & biflorus, rarius triflorus, ſinguli veſtiti bracteis duabus oppoſitis lanceolatis. Flores ſuaveolentes. Germen globoſum. Foliola calycis lineari-lanceolata, acuta, integerrima omnia. Petala obverſe cordata, patentiſſima, uncialia, rubra. Fructus globoſus, utrinque parum depreſſus, nitidus, aurantiaco-ruber, avellanæ magnitudine. In tabula repræſentantur pars ſumma caulis florentis adulti, pars infima caulis novelli, & ramulus fructeſcens.

221. ROSA RUBRIFOLIA. *Villars.* Tab. 106.

Floret ab ineunte Majo ad medium Junium. Fructeſcit Septembri. Caules plures, fruticoſi, inferne digitum craſſi, a duobus ad quinque pedes alti, teretes, aculeis recurvulis ſubulatis armati, ex purpureo fuſci, rore glauco tecti, cæterum glabri. Folia alterna, plerumque trijuga cum impari, in caulibus junioribus etiam quadrijuga. Coſta purpurea, ſubtus parum aculeata, adnatam gerens utrinque ſtipulam linearem, glabram, inermem, ſanguineam, acutam, ſuperne ad lentem ſerrulatam. Foliola oblonga, acuminata, argute æqualiter & approximate ſerrata, glabra, inermia, breviter petiolata, plus minus uncialia, imprimis ſubtus livida, idque vel tota, vel in altera dimidia dumtaxat parte, facie obſcure virentia & ſæpe livore perfuſa. Flores leviter ſuaveolentes, diametri plus minus uncialis. Pedunculi in ra-

mulis terminales, ab unico ad quatuor, bracteis ſuffulti lanceolatis glabris integriſque, plerumque pilis capitatis brevibusque veſtiti. Germen ovatum, ſæpius glaberrimum, nonnunquam ad baſin capitato-piloſum. Calycis foliola lineari-lanceolata, acuta, integerrima, petalis longiora, pilis capitatis ciliata, foris livida. Petala obverſe ovata, obtuſa, integerrima vel emarginata, baſi alba, cæterum utrinque rubra. Antheræ luteæ. Fructus ovatus vel ovalis, nitidus, glaber, aurantiacus. Illuſtris Franc. a Portenſchlag Ledermayer hanc Roſam ſilveſtrem invenit in Auſtria circa Gutenſtein.

222. ROSA PIMPINELLIFOLIA. *Linn.* Tab. 107. Fig. 1.

Sub dio floret Majo & Junio, fructeſcit Auguſto. Frutex tripedalis, caule ramisque diffuſis, & armatus denſe aculeis ſubulatis rectis horizontalibus longioribus brevioribusque miſtis, quorum illi in caule ramisque ſenioribus increscunt, baſin acquirunt latiorem, toti plani & cinerei; cujusmodi rami portio ſeorſim picta adſtat. Folia ſunt alterna, a trijugis ad quinquejuga cum impari. Stipula utrinque coſtæ ſemi-adnata, acuta, glabra, per lentem ſerrulata. Coſta glabriuscula, modo plane inermis, modo aculeis parvis rectisque armata. Foliola oblonga vel ovalia, obtuſa, argute & æqualiter ſerrata, breviſſime petiolata, glabra, ſemuncialia. Pedunculi terminales, uniflori, plerumque ſolitarii, inermes, glabri. Flores ſuaveolentes, ſescuncialis diametri. Germen globoſum, glabrum, inerme. Calycis foliola lineari-lanceolata, acuta, integerrima, glabra. Petala obverſe cordata, patentiſſima, rubra cum limbo albido aut rubra tota. Fructus globoſus, nitidus, glaber, niger, inermis, avellanæ volumine.

223. In Horti Schönbrunnenſis volumine quarto depinxi & deſcripſi Roſam turbinatam flore multiplicato, quum alia ibidem non aderat. Nunc in horto botanico Vindobonenſi eadem Roſa flore ſimplici copioſe floret; quare hujus florem, utrinque conſpectum, in tabula præcedente ſub figura ſecunda exhibui, addito etiam ramulo fructeſcente. Præterea ſiſtit figura tertia ramulum cum fructibus maturis Roſæ lucidæ, qui ſunt discoidei, & quam florentem dedit in Horto Elthamenſi Dillenius.

224. ALOË RIGIDA. *Persoon.* Tab. 108.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret Majo & Junio. Radix digitum minimum craſſa, fibris craſſis aucta. Caulis ſucceſſive pedalis foliis denſiſſime totus imbricatis & amplexicaulibus obducitur. Sunt hæc ex ovato lanceolata, rigidiſſima, mucronata, pungentia, virentia, intus glabra nitidaque in ſola baſi, cæterum intus forisque & ad oras tota punctis exſtantibus aſpera, dorſo convexa, facie concava, carnoſa, craſſa, erecto-patula, ſescuncialia; pleraque in ſitu magis minusve definite ſpirali locata, ut hæc ſpecies præ aliis affinibus dici ſpiralis merita fuiſſet. Scapus unus alterve ex ipſo foliorum ſummorum centro enaſcitur, ſimplex vel ramoſus, erectus principio, dein præ debilitate reclinatus, vix pennam columbinam craſſus, ſæpe duos pedes longus, ſuperne longe racemoſus. Pedicelli breves, bracteola ſublineari ſuffulti. Flores inodori, erectiusculi, monopetali. Tubus cylindricus, ſulcatulus, ſordide viridulus. Limbi bilabiati laciniæ ſex, albidæ, patenti-reflexæ, tubo duplo breviores, & tres alternæ breviores. Filamenta receptaculo inſerta, tubo corollæ breviora, alterna graciliora & longiora. Tota exhibetur planta florens, & ſeorſim folium.

225. ALOË BULLULATA. *Jacq.* Tab. 109.

Ex ſeminibus Capenſibus a Schollio adlatis hæc planta germinavit, quæ Majo & Junio apud nos floret. Radix digitum minimum craſſa, fibris craſſis aucta. Caulis tandem pedalis, erectus, foliis totus tectus imbricatis & amplexicaulibus. Sunt hæc magis minusve manifeſto quinquefario ſitu orta, ſic etiam manifeſtius diſpoſita prima in planta juniore, adeo ut inferne ſit Aloë pentagona, ſuperne Aloë ſpiralis. Sunt porro ovata, acuminata, mucronata, pungentia, glabra, carnoſa, craſſa, virentia, rigida, dorſo convexa, facie plana, majora biuncialia, ſubtus bullulis elevatis planis nitidis ovalibus vel ſubrotundis depreſſisque pluribus, inſignita, qua ultima nota ab affinibus omnibus diſtinguitur. Inflorescentia uti in Aloë præcedente. Corollæ vix bilabiatæ tubus viridis; limbi patentiſſimi laciniæ obverſe ovatæ, rotundatæ, ſulphureæ cum fascia media virente, tres breviores. Repræſentantur planta florens integra; & auctus flos.

226. ALOË SPIRALIS. *Linn.* Tab. 110.

Crescit in Promontorio bonæ Spei, in hortis Botanicis paſſim obvia floret æſtate & autumno. Radix digitum craſſa fibrisque aucta. Ad ſesquipedalem altitudinem attollitur, ex baſi ſobolifera. Folia denſe imbricata, in quibus nullum ordinem videre potui, lanceolata, acuminata, mucronata, pungentia, caulem totum amplexantia, glabra, atrovirentia, ſescuncialia, rigida, craſſa, facie plana, dorſo convexa. Scapus unus alterve, ſubterminalis, teres, pennam columbinam craſſus, ſimplex vel ramoſus, ſuperne longe racemoſus, plerumque ob debilitatem in alterutram partem flexus. Pedunculi uniflori, bracteolis lanceolatis fulti, breves, erectiusculi, ſæpe ſecundi. Flores erecti, monopetali. Tubus cylindricus ſexſulcatus, angulis virentibus, interſtitiis albis & rugoſe cartilagineis. Limbus breviſſimus, ſexfidus, flavescens, patulus; laciniis obtuſis, tribus interioribus brevioribus. Genitalia generis, corolla paulo breviora. Tabula ſiſtit plantam florentem integram, auctumque florem.

227. ALOË PENTAGONA. *Aiton.* Tab. 111.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos floret æſtate. Ex radice digitum craſſa fibrisque craſſis aucta exſurgit caulis ſemipedalis & ultra, erectus, baſi prolifer, totus foliis imbricatis in ſerie quintuplici patulisque tectus. Sunt hæc ex lata baſi lanceolata, acuminata, pungentia, rigida, craſſa, carnoſa, integerrima, amplexicaulia, glabra, facie plana, dorſo convexa, ſescunciam longa. Scapus unus alterve, terminalis, ramoſus, teres, pennam columbinam craſſus, glaber, plerumque declinatus, longe racemoſus, ſesquipedalis. Pedunculi uniflori, breves, bracteola lanceolata ſuffulti. Flores ſecundi, erectiusculi, Corollæ tubus cylindricus, ſexſulcatus, albus cum angulis virentibus; limbus ſexfidus, brevis, laciniis obverſe ovatis, flavescentibus, patentibus, alternis paulo minoribus.

228. ALOË CYMBIFOLIA. *Jacq.* Tab. 112. Fig. 1.

Promontorium bonæ Spei patria eſt. Apud nos floret Majo & Junio. Tota glabra eſt. Folia omnia radicalia, in roſam expanſa, ovata, integerrima, obtuſa cum exiguo mucrone innocuo, intropreſſo-concava, ſeſſilia, craſſa, pulpoſa, ſucculenta, inſipida, lineata, mollia,

ſemipellucida, pallide virentia, ſescuncialia. Scapi axillares, teretes, erectiusculi, vix pennam columbinam craſſi, ſimplices, ſpathis ſcarioſis ovatis acutisque veſtiti, ſuperne longe racemoſi, plus minus novemunciales. Flores breviter pedicellati, erecti, albi cum fasciis virentibus. Corollæ monopetalæ, fere ad baſin usque diviſæ & bilabiatæ tubus gibbus, & laciniæ tres alternæ interiores. Filamenta tubo breviora, receptaculo inſerta, ſubulata, erecta, alba. Germen oblongum, trigonum. Stylus breviſſimus. Stigma trifidum, patens.

229. ALOË PULCHRA. *Jacq.* Tab. 112. Fig. 2. & 3.

In hac Aloë, cujus deſcriptionem & figuram in Horti Schönbrunnenſis volumine quarto ſub hoc titulo dedi, hortulanus aulicus Franciscus Boos proprietatem detexit ſingularem, qua quidem aliæ aliquot ſpecies, ab ipſo exploratæ, non minus gaudere viſæ ſunt, ſed in gradu multo inferiori. Scilicet folium ejusdem in quacunque ſui parte abſciſſum, & terræ immerſum, poſt aliquot menſes ex toto baſeos ambitu ſilvam novarum plantarum producit, quæ a folio avulſæ & ſeorſim terræ commiſſæ, jam quinto ætatis anno flores fructusque largitæ ſunt. Sic ut ex una planta adulta intra paucos annos mille propagari poſſent. Ut hæc res exemplo illuſtretur, duas in hac tabula figuras exhibeo; alteram, in qua folia dumtaxat trimeſtria ſunt; alteram, in qua annua.

230. BRYONIA HEDERAEFOLIA. *Jacq.* Tab. 113.

Sponte crescit in inſula Teneriſæ, unde ſemina anno 1774 a celeberrimo Francisco Maſſon accepi. Ex his duæ germinarunt plantæ, quæ per plures annos lætiſſime vegetarunt, tandem ex radicum putrefactione perierunt ſine fructu, nam utraque mere mascula fuit, ut planta dioica ſit. Aeſtate copioſe floruerunt ſub dio, dum radix hieme ſervabatur in tepidario. Hæc perennis, tuberoſa, pugnum craſſa, carnoſaque caules plures producit quotannis herbaceos, ſcandentes, teretes, glabros, ramoſiſſimos, decempedales. Cirri longiſſimi, ſimplices. Folia alterna, petiolata, cordata, quinquangulata, integerrima, apice acuta, angulis lateralibus obtuſis, ſcabriuscula, ſubtus punctis minutiſſimis adſperſa, ſupra parcius obtecta verrucis albis conicis acutisque, duas uncias longa. Racemi ſimplices, multiflori, ſucceſſive florentes & elongati, tandem fere ſemipedales, patentiſſimi. Pedicelli ſemunciales. Calycis pallide virentis laciniæ lanceolatæ & acutæ. Corollæ flaventis laciniæ ovatæ, acutæ, patentiſſimæ, calyce fere triplo longiores. Antheræ luteæ. Maris ramulum florentem tabula exhibet cum portione aucti folii in facie conſpecti.

231. ACHYRANTHES AXILLARIS. *Jacq.* Tab. 114.

Sub hoc titulo ſemina miſſa fuerunt. Caulis annuus, ſesquipedalis, calamum craſſus, teres, erectus, totus una cum ramis pube denſa cinerea & ad digitum fortiter motum abſcedente obſitus, ad ramificationes articulate nodoſus. Folia oppoſita, breviter petiolata, lanceolata, acuta, integerrima, patula, a duabus ad quatuor uncias longa, ad lentem ciliatula & utrinque hirta, facie venoſa, dorſo coſtata. Flores axillares, ſeſſiles, ad duodecim usque aggregati, inodori, inferne virentes, ſuperne albi, foris hirtuli. Calycis foliola tria, lanceolata, acuminata, petalis breviora. Petala quinque, inæqualia; tria exteriora cuſpidata,

duobus interioribus duplo longiora. Stamina tria, breviſſima. Stylus vix ullus. In tabula ſiſtitur caulis florens; & aucta corolla, eadem cum calyce, & genitalia. Creſcit in inſulis Canarienſibus.

232. RHUS MOLLIS. *Jacq.* Tab. 115.

Creſcit in Promontorio bonæ Spei. Frutex foliis quam maxime varians, cujus plures varietates in hac tabula depinguntur, quas in principio pro diſtinctis ſpeciebus habui, donec omnia hæc folia in diverſis ramis ejusdem individuæ plantæ ſæpe adeſſe conſpexi. Hiemem in tepidario agit, florens ſub dio menſe Junio, ſed fructum non tulit. Caulis tripedalis & ultra, baſi pollicem craſſus, teres, glaber, ſubtiliter ſtriatulus, ex cinereo fuscus, erectus, ſcandens, radicans. Rami ſparſi, glabri, longiſſimi, calamum craſſi, flexiles, ſcandentes; juniores villoſuli. Folia alterna, cum flavedine virentia, ternata. Petiolus communis dorſo teres, antice planus, ad lentem villoſulus, a dimidia ad duas uncias longus. Foliola ſubovata, baſi anguſtata, acuta vel obtuſa, rarius integerrima, plerumque inciſa, modo uno alterove dente, modo pluribus, modo ſerrato-dentata, venoſa, ſubtus villoſa & ad tactum molliſſima, ſupra ad lentem villoſula; lateralia breviſſime petiolata. Racemi compoſiti, denſi, axillares, biunciales, oblongi, inferne uno alterove ramulo aucti. Flores leviter odorati, hermaphroditi. Perianthium parvum, glabrum, pallide virens. Petala alba, oblonga, patentiſſima. Filamenta brevia, erecta. Antheræ oblongæ, aurantiacæ. Stylus brevis, tripartitus, erectus. Stigmata ſimplicia. Flos piſtillumque aucta ad latus exhibentur.

233. PTERIS ELEGANS. *Jacq.* Tab. 116.

Ex ſeminibus ſpecimini Capenſi ſicco adhærentibus atque excuſſis enata in horto Schönbrunnenſi elegans hæc planta fuit. Radix denſe fibroſa & perennis plures ſucceſſive attollit frondes bipedales & inferne ſesquipedem latas, ſuffultas ſtipite vel ipſo ſæpe bipedali. Hic teretiusculus eſt, glaber, nudus, calamum craſſus. Frons ampla, glabra, plana, inferne tripinnata, cæterum bipinnata. Pinnæ oblongæ, acutæ, alternæ, plus minus ſemipedales. Pinnulæ oblongæ, anguſtæ, acutæ, confluentes, plus minus unciales, lata baſi ſeſſiles, ſubcrenulatæ, in dorſi utroque margine lineam pulverulentam continuam ferrugineamque gerentes, verſus apicem vero nudæ. Tabula exhibet frondem antice conſpectam, & ſeorſim pinnam in dorſo cum fructificationibus.

234. ECHITES SUCCULENTA. *Thunb.* Tab. 117.

Duas ſalvas ex Promontorio bonæ Spei ad nos attulit Georgius Scholl individuas hujus ſpeciei plantas, ſcilicet ſola tubera, omni caule folioque deſtitutas; quæ adhucdum perſtant, & quorum majus floruit, nunc deſcribendum. Eſt tuber craſſitudine brachii, fuscescens, glabrum, baſi in crura diviſum, ſupra terram ad dimidium pedem elevatum, erectum, ex vertice plures truncos, etiam ex latere paucos, emittens fruticoſos, parum ramoſos, teretes, fuscos, erectiusculos, calamum craſſos, nunc jam ſesquipedales, denſe ſpinoſos. Spinæ fere ſemper ſunt ternæ, raro dumtaxat gemellæ, ſic tamen ut ternarum intermedia ſit multo brevior, ſubulatæ, pungentiſſimæ, rigidæ, recurvatulæ, fere ſemunciales, ferrugineæ, ad len-

tem hirtellæ, in caulium adultorum inferiore parte tandem deciduæ. Folia fasciculata, terminalia, tum etiam axillaria ad ſpinas rarius, linearia vel magis oblonga, acuta, integerrima, ad lentem minutiſſime & denſiſſime ciliata, ſupra viridia & glabra, ſubtus pallidiora & tomentoſa, ad oras parum revoluta, fere avenia, nervo medio ſubtus protuberante, ſubſeſſilia, ſescuncialia. Flores fasciculati, breviſſime pedunculati, terminales, erecti, inodori. Perianthium inferum, ſemiquinquefidum, villoſum, ciliatum, viride, acutum, erectum. Corolla monopetala, infundibuliformis, foris villoſula. Tubus ſubquinquangularis, erectus, purpureus. Limbus quinquefidus; laciniis linearibus, patentiſſimis, tandem parum revolutis, utrinque albidis cum fascia media purpurea, longitudine tubi. Filamenta quinque, ſubulata, tubo corollæ adnata, ſuperne barbata. Antheræ lanceolatæ, ſubhaſtatæ, in conum erectæ & conniventes, luteæ, longitudine tubi corollæ. Germina duo, circumdata glandulis quinque viridibus emarginatis & duplo brevioribus. Stylus unicus, filiformis, ſuperne craſſescens, longitudine ſtaminum. Stigma capitatum, bifidum. Fructum non dedit. Tota ſucco abundat aquoſo & amaro. Tabula exhibet plantam florentem fere totam; dein aucta ſpinam ad lentem villoſulam, partem folii in dorſo conſpectam, corollæ tubum cum contentis ſtaminibus disciſſam expanſamque, perianthium, & piſtillum.

235. ARCTOTIS AMOENA. *Jacq.* Tab. 118.

Patria eſt Promontorium bonæ Spei. Apud nos ſub dio floret Majo & Junio; hiemem agit in tepidario. Ex radice ramoſa caulis attollitur fruticoſus, ſemipedalis, digitum minimum craſſus, teres, fuscus, folioſus, breviter ramoſus, ſimplex vel ex ipſa baſi veluti in plusculos caules diviſus. Folia caulina longe petiolata, flaccida, ſublyrata, craſſula, ſubtus tomentoſa & incana, ſupra pallide virentia & ſubglabra, ſemipedalia; lobis obtuſis, ſubdenticulatis, lateralibus oblongis, terminali ovato trinervio & maximo. Ramea longe minora, petiolata, lanceolata, acutula, dentata, firmiora. Pedunculi terminales, uniflori, teretes, erecti, incani, ſemipedales, foliolis minutis ſparſis bracteati. Flores inodori, diamatri biuncialis. Calycis ſquamæ ovatæ, extimæ tomentoſæ inque appendicem ſubulatam & reflexam deſinentes, reliquæ virides glabræ & abeuntes in bracteam ſcarioſam oblongam erectamque. Corollulæ radii circiter viginti, lanceolatæ, acutulæ, apice vix dentatæ, biſtriatæ, intus albæ, foris rubræ, fauce nigra cum ſuperimpoſita macula flava, patentiſſimæ, fæmineæ, fertiles; tubo cylindraceo albo. Stigma bifidum, lineare, reflexum. Germen parvum, ſetoſum, calyculo coronatum proprio ex foliolis ſex ſeptemve oblongis obtuſis obſolete denticulatis ſuperne purpureis & inferne ex flavo pallentibus. Corollulæ disci hermaphroditæ, ſteriles, infundibuliformes, limbo fusco quinquefido, germine glabro, in quo calyculus proprius nullus. Receptaculum planum, ſetoſum. Tabula ſiſtit plantam florentem auctumque piſtillum cum calyculo germinis proprio petalique tubo truncato.

236. ERYTHRINA RUBICUNDA. *Jacq.* Tab. 119.

Ex Hollandia in hortos noſtrates ante plures annos migravit hæc planta ſine indicata patria ſub erroneo Erythrinæ herbaceæ titulo. Ad nullam ex cognitis reducere potui, hinc ceu novam ſpeciem propono. Tota glabra est. Ex eadem radice ſubramoſa tuberoſa & carnoſa caules attolluntur plurimi, fruticoſi, erecti, imprimis ſuperne ramoſi, teretes, aculeati, tandem ſeptempedales, pollicem craſſi, fusci, juniores virides. Aculei validi, cinerei, horizontales, plerique recurvuli. Folia alterna, longe petiolata, ternata. Coſta modo inermis,

modo aculeis ab uno ad quinque parvis & virentibus in decurſu armata. Foliola inermia, venoſa, utrinque virentia, integerrima, obtuſa; lateralibus ovatis cum petiolo quolibet baſi gerente glandulam ovatam acutam viridemque; intermedio ſubdeltoide, multo majori, triunciali, & glandula omni deſtituto. Flores inodori, breviſſime pedicellati, numeroſi in racemo terminali erecto, penduli, pedicellis ſolitariis; bracteis nullis. Calyx tubuloſus, fuſcescens, ore breviſſime quinquedentato. Corolla charactere congenerum. Vexillum connivens, rubicundum, ferme biunciale. Alæ oblongæ, obtuſæ, erectæ, pallide rubræ, calyce paulo longiores. Carina ovata, acuta, connivens, monopetala, biunguiculata, colore & longitudine alarum. Filamenta diadelpha, ſimplex & novemfidum, erecta, pallida, vexillo incluſa. Antheræ flavæ. Germen lineare, glabrum, longe pedicellatum. Stylus longitudine ſtaminum. Floret in caldario Majo. Fructum nondum dedit. In tabula ramus florens alterque folioſus repræſentantur; tum alæ, carina, & ſtamina.

237. CHENOLEA INCANA. *Jacq.* Tab. 120. Fig. 1.

Ex Promontorio bonæ Spei. Apud nos ſub dio floret a Julio ad Octobrim; hiemem agens in tepidario & ſempervirens. Radix ramoſa. Caulis fruticoſus, calamum & ultra craſſus, tandem quadripedalis, debilis, hinc decumbens, teres, fuſcus, junior una cum ramis adſcendentibus villoſulus, totusque denſe folioſus. Folia ſeſſilia, lanceolato-linearia; acuta, integerrima, plana, incana, denſe villoſa, tres unciæ partes longa, alterna omnia, ex axillis promentia fasciculum foliorum minorum; ſuperiora autem, ſucceſſive breviora, racemulum folioſum ſolitarium a dimidia ad ſescunciam longum. In hoc ex ſingulorum foliolorum alis prodit flos ſeſſilis; cui calyx eſt ſubrotundus, villoſus, incanus & ſemiquinquefidus cum laciniis inflexis; corolla nulla; filamenta quinque, calycem ſuperantia, erecta, alba cum antheris flavis; germen ſubrotundum, ſuperum, glabrum, depreſſulum; ſtylus bifidus & villoſus; ſtigmata acuta; & capſula monoſperma. Tabula repreſentat ramum; auctaque florem & piſtillum.

238. EUPHORBIA ORNITHOPUS. *Jacq.* Tab. 120. Fig. 2.

Sine patria indicata accepimus ex Anglia ipſam plantam, quæ forte ex Promontorio bonæ Spei eſt. Floret quotannis, ſed fructum huc usque nullum dedit. Nomine triviali vocavi Ornithopum, quia petala ſingula pedem avis cum tribus digitis ſive ſingulis haud male refert. Tota fruticoſa & glabra lactescit abunde. Caules plusculi, ramoſi, debiles, erectiusculi, carnoſi, creeiformes, pedales, baſi digitum craſſi, teretes, juniores virides, uniores glauci, in tubercula horizontalia craſſa & acuta undique protuberantes, quæ juniora ex apice emittunt ſingula folium ovale ſeſſile integerrimum planum minimum viride & tandem marcescens deciduumque. Pedunculi in ramis terminales, pauci aggregati, uniflori, teretes, erecti, biunciales, involucro univerſali deſtituti, infra flores bracteis duabus vel tribus patentiſſimis foliaque ſimillimis ceu involucro partiali inſtructi. Flores erecti, hermaphroditi, inodori. Calyx turbinatus, viridis, limbo quadrifido & obtuſo. Petala quatuor, infundibuliformia, ex glauco virentia, bilabiata; labio ſuperiori ſive extimo, tricorni, longo, patulo, facie ex albo reticulata rugoſaque, labio inferiori oblongo, connivente, breviſſimo, albo. Stamina circiter duodecim. Germen ovatum, glabrum. Styli tres. In tabula ſiſtitur tota planta, & auctus flos dimidius, utrinque conſpectus.

239. DINEBRA ARABICA. Tab. 121. Fig. 1.

Planta hæc jam per multos annos colitur in horto botanico Vindobonenſi, cujus ſemina ex aliis hortis ad nos miſſa ſæpius fuerunt ſub titulo Cynoſuri retroflexi, ſed annis poſteriori-bus illa accepimus ſub novo titulo Dinebræ arabicæ, novi generis; quod nomen, ignorato licet auctore, aſſumpſi, cum mihi non videatur ad Cynoſuros pertinere. Floret ſub dio æſtate. Radix annua & fibroſa. Culmi plusculi, erecti vel adſcendentes, a ſemipede ad ſesquipedem alti, compreſſuli, glabri, graciles. Folia alterna, enſiformi-linearia, acuta, a quatuor ad duodecim uncias longa, retrorſum ſcabriuscula, viſa tamen glabra, læte virentia, plus minus piloſa, orta ex vagina appreſſa. Spica compoſita, racemoſa, terminalis, erecta, plus minus ſemipedalis. Rhachis communis, ſubangulata, unilateralis. Spiculæ lineares, plus minus unciales, patentiſſimæ, fructescentes retroflexæ, inferiores in eodem rhacheos communis dente ſæpe ternæ vel geminæ, cæterum ſemper ſolitariæ; rhachi propria unilaterali cum floribus diſtichis. Involucrum nullum. Calycis triflori vel biflori ſeſſilis & bivalvis valvulæ lanceolatæ, ariſtatæ, dorſo & oris ciliato-ſcabræ, rectæ, flosculis duplo longiores, altera paulo breviore. Flosculi omnes hermaphroditi, infimus ſeſſilis, reliqui pedicellati; valvulis conniventibus, ovatis, dorſo ſcabris, margine glabris; quarum exterior paulo longior apicem habet ſubtrifidum, altera interior bidentatum. Stamina tria. Styli duo cum ſtigmatibus rubris. Semen lanceolatum, glabrum, minutum. In tabula exhibentur duo culmi, alter longior, minor alter. Aucta ſpiculæ pars cum integro flore, flos dempto calyce, piſtillum, tres flosculi extra calycem, & ſemen.

240. CHLORIS CILIATA. *Swartz.* Tab. 121. Fig. 2.

Crescit in inſulis Caribæis. Apud nos floret æſtate. Radix fibroſa & perennis plures quotannis culmos exſerit herbaceos, indiviſos, erectos, glabros, vix pedales, ad folia nodoſos. Folia alterna, longe vaginantia, ſublinearia, acuminata, ſubtiliter ſtriata, plana, ad oras utrinque ſcabriuscula, cæterum glabra, plus minus ſemipedalia. Culmus terminatur in ſpicas digitatas, ſæpius quatuor vel quinque, etiam ad ſeptem, erectiusculas ſub dio, in caldario patentiſſimas, unilaterales, ſubbiunciales. Rhachis hirtella. Spiculæ numeroſæ, mutuo denſe accumbentes. Calycis gluma bivalvis, ſubquadriflora, ſeſſilis; valvis lanceolatis, acuminatis, dorſo hirtellis, margine glabris, patulis, altera paulo breviore. Flosculus infimus eſt hermaphroditus & ſeſſilis; reliqui pedicellati & neutri. Gluma hermaphroditi bivalvis; valvula extima infra apicem ariſtam emittente erectam, in margine ciliata, connivente; interiore minore, glabra, erecta, & mutica. Filamenta tria, erecta, brevia. Antheræ oblongæ, erectæ, flavæ. Flosculus ſequens glaber est, & ſimiliter ariſtatus. Tertius & quartus longe minores & mutici. Semen oblongum, glabrum & minutum. In tabula ſiſtuntur culmus unus florens cum fibris aliquot radicalibus a ceſpite toto avulſus; aucta demum ſpicæ pars utrinque conſpecta, floris ſecundi calyx, idem una cum corolla, flos fertilis infimus, genitalia, & ſemen.

241. MALVA LEPROSA. *Orteg.* Tab. 122. Fig. 1.

Crescit in inſula Cuba. Apud nos ſub dio floret Julio & Auguſto, hiemem agens in caldario. Radix perennis & reptans caules undique ceſpitoſe producit plures, baſi ſuffruticoſos & ramoſos, cæterum herbaceos, a ſemipede ad ſesquipedem longos, procumbentes, graci-

les, teretes, foliofos; qui una cum calycibus pedunculis petiolis foliisque utrinque adfperfi funt fquamulis furfuraceis ftellæformibus, hinc fcabri & leprofi. Folia funt alterna, petiolata, fuboblique reniformia, crenata, fupra glauca, fubtus incana, firmula, duas unciæ tertias lata. Pedunculi uniflori, axillares, folitarii, graciles, foliis triplo longiores. Perianthii exterioris foliola duo, fubulata, acuta, adpreffa. Interius trifidum; laciniis femiovatis, acutis. Petala oblonge ovata, fubcrenulata, patentiffima, calyce triplo majora, alba, latere exteriori rubescentia. Stamina alba. Stigmata flava.

242. HEDYSARUM MONILIFERUM? *Linn.* Tab. 122. Fig. 2.

Sine titulo & patria accepimus femina. In caldario floruit Augufto & Septembri; dein absque fructu periit unica, quam habebamus, planta. Ob illius defectum non aufim decidere, an vere Hedyfarum moniliferum Linnæi fit. Ex radice ramofa caules egrediuntur plures, procumbentes, a quinque ad decem uncias longi, inferne ramofi, teretes, nodulofi, graciles, glabri, virides. Stipulæ ad nodos & ad petiolos geminæ, oppofitæ, erectæ, lanceolatæ, acuminatæ, integerrimæ, bafi latiore feffiles, fcariofæ. Folia fimplicia, alterna, ovalia vel oblonga, obtufa, integerrima, fupra glabra, fubtus ad lentem fubpubescentia, plana, patula, ab una tertia unciæ parte ad integram unciam longa, cum petiolo gracili brevique. Spicæ terminales, denfæ, unciales, erectæ. Flores parvi, breviffime vel vix pedunculati, erecti, bracteis minutis fuffulti. Calycis femiquinquefidi dentes lanceolati, acuminati, ciliati, erecti, fuperiores duo minus profunde fecti. Vexillum rubellum. Alæ purpureæ. Filamenta alba. Antheræ flavæ. Cauli in icone adftat flos auctus.

243. PAVONIA HUMILIS. *Jacq.* Tab. 122. Fig. 3.

India Orientalis eft patria. Floret apud nos fub dio æftate, planta annua, tota tomentofa, erecta, parum ramofa, femipedalis, raro pede altior. Caulis teres, gracilis, fcabriusculus. Folia alterna, petiolata, ex fubrotundo cordata, fæpe obfoletius angulata, crenata, obtufa, venofa. Stipulæ utrinque folitariæ, fubulatæ, breves, mox marcescentes & deciduæ, adeo ut in tota planta videantur plerumque abeffe. Pedunculi axillares, folitarii, uniflori, erecti, longitudine circiter petioli folii fui. Flos plerumque unicus in planta floret, dum fic reliqui fucceffive fequuntur. Calyx exterior conftat ex foliolis linearibus circiter duodecim, acutis, hirfutis & virentibus. Interioris duplo brevioris & profunde quinquepartiti laciniæ funt albidæ, ovatæ, acutæ, ciliatæ. Petala oblonga, obtufa, alba, patentiffima, calyce duplo longiora. Stamina alba. Stigmata decem. Capfulæ quinque, obverfe ovatæ, rugofæ, monofpermæ, bivalves.

244. ACONITUM VOLUBILE. *Pallas.* Tab. 123.

Sibiria patria eft. Apud nos crescit fub dio, & floret æftate. Ex radice perenni & napiformi caules quotannis attolluntur herbacei, teretes, graciles, ad duos tresve pedes erecti, dein elongati & volubiles, tandem reclinati. Folia alterna, petiolata, quinquepartita; lobis lanceolatis, acuminatis, incifis. Pedunculi axillares, folitarii, patentiffimi, graciles, ab unico ad quatuor ramofe flores fuftinentes, bracteolis parvis oblongisque veftiti; etiam unus terminalis. Flores dilute cærulei, galeæ roftro recurvato.

245. ROSA SPINOSISSIMA. *Linn.* Tab. 124.

Hæc eſt Roſa Cluſii campeſtris odora, quam Linnæus citavit pro Roſa ſpinoſiſſima ſua, & quæ propterea pro tali a Botanicis habita fuit. Mihi quidem dubium ſupereſt, quod ſolvere poterunt, quibus plantam Helveticam Suecicamque vivam comparare cum hac mea Auſtriaca dabitur; quare hanc ejus deſcriptionem cum figura ad ſilveſtrem plantam facta communico. Floret Majo. Frutex bipedalis, ramoſus, diffuſus. Lignum albicans durum. Truncus junior ramique ſunt ferruginei & aculeatiſſimi. Senior autem ramique, depoſitis aculeis, inermes ſunt & nigrescentes. Ramuli novelli & virides fere omnes ex ſummitate uniflori ſunt; rarius biflori. Aculei ex baſi lata ovali & ſquamæformi oriuntur, horizontales, ſubulati, rectiusculi, pungentes, numeroſiſſimi, ferruginei, longiores brevioresque miſti. Folia a trijugis ad quinquejuga cum impari. Stipula maximam partem coſtæ folii adnata, ſeſſilis, oblonga vel ſublinearis, acuta, ad oras per lentem pilis capitatis ciliata, ſerrulata. Coſta in dorſo parum aculeata. Foliola breviſſima petiolata, inermia, glabra, oblonga, acuta, argute ſerrata, plus minus ſemuncialia. Pedunculi terminales, ſolitarii, uniflori, raro biflori, unciales vel ſemunciales, hiſpidi, in cultis ſæpe glabri. Germen ſubrotundum, glabrum. Calycis foliola quinque, lanceolato-acuminata, glabra, integerrima. Petala quinque, obverſe cordata, patentiſſima, uncialia, ſine omni ad baſin macula albiſſima. Antheræ flavæ. Fructus ſubrotundus, nitidus, initio purpureus, dein ater. In tabula repræſentantur ramus florens, duo fructus maturi, pars rami ſenioris inermis, & aucta portio rami.

246. STATICE SPICATA. *Gmelin.* Tab. 125.

Crescit ad mare Caſpium. Apud nos floret Julio & Auguſto. Radix annua, gracilis, fuſiformis, albida. Folia radicalia, fere avenia, ex glauco virentia, oblonga, obtuſa, baſi in petiolum anguſtata, ab una ad tres uncias longa, pleraque integerrima, quædam plus minus ſinuata, nunquam vero a me viſa ſic ſinuata uti in figura Gmeliniana. Scapi ex foliorum alis pauci, teretes, pilis albis hirſuti, erecti, vel adſcendentes, foliis duplo longiores, in ſpicam denſiſſimam longam teretemque deſinentes, aut in hanc unicam, aut in decurſu aliis ſpicis lateralibus brevioribus ſeſſilibusque aucti. In bracteis ſingulis conniventibus locantur flores pauci, calyce corollaque albi. In tabula ſiſtuntur plantæ tres junctim crescentes; tum aucta bractea, perianthium & corolla. Ne vel minimum tuberoſa eſt radix, cujus videtur figura in Gmelii Flora ſibirica non pertinere ad ſcapos delineatos, uti ex ipſo textu conjici poteſt.

247. CELSIA SUBLANATA. *Jacq.* Tab. 126.

Patria nobis ignota eſt. Floret æſtate ſub dio, hiemem agens in tepidario. Planta bipedalis, tota lanato-tomentoſa. Caulis ſuffruticoſus, erectus, digitum craſſus, teres, ſemipedalis & ultra, ſuperne ramoſus. Rami annui, pilis albis denſe obſiti, virentes. Folia alterna, petiolata, ex ovato oblonga, obtuſa, duplicato-crenata, rugoſa, mollia, uno alterove pari foliolorum ſeſſilium appendiculata; petiolis denſe hirſutis. Racemi terminales, ſimplices, longi, multiflori, erecti. Pedicelli ſubunciales, patentiſſimi: bracteis ſuffulti ſeſſilibus, cordatis, acutis, ſubſerratis & parvis. Flores ſuaveolentes, omnino odore Collinſoniæ. Calycis foliola ovata, acutula, villoſa, virentia. Corolla rotata, flava cum fauce & ungue purpurascente; laciniis ſubrotundis, ſubæqualibus. Filamenta erecta, petalo breviora, purpu-

rea, omnia pilis capitatis purpureis barbata. Stylus glaber. Stigma obliquum. Capſula ſubrotunda, bilocularis, glabra. Semina minuta. Adſtat ad latus portio trunci.

248. CRASSULA SPINOSA. *Linn.* Tab. 127. Fig. 1.

Crescit in Sibiria. Sub dio apud nos floret æſtate, & hiemem perfert. Radix perennis, teres ramoſa & multiceps ceſpitoſe generat ſucceſſive plures foliorum roſas inſtar ſemperviri tectorum. Hæ adultæ ex centro emittunt caulem ſolitarium, erectum, fere pedalem, calamum craſſum, inferne foliis veſtitum ſeſſilibus ſparſis patentibus, nec apud nos uti in figuris Gmelini & Murræi erectis caulique ferme appreſſis; ſuperne abeuntem in ſpicam longam denſamque. Folia ſunt lanceolata vel oblonga, integerrima, terminata in ſpinam mollem albam nec pungentem, craſſa, carnoſa, uncialia. Flores ſubſeſſiles, erecti vel patuli, petalis albis calyce viridi duplo longioribus. Stamina apud nos ſæpius quinque, rarius a quinque ad decem variantia, longitudine corollæ, alba cum antheris flavis.

249. STEVIA PURPUREA. *Persoon.* Tab. 127. Fig. 2.

Crescit in Mexico. Radix perennis. Caules plures, annui, erectiusculi, debiles, ſesquipedales, pennam columbinam craſſi, teretes, una cum foliis calycibusque ad lentem pubentes. Folia omnia inferne oppoſita, reliqua alterna, ſubſeſſilia, lanceolata, ſuperne ſerrulata, acutula. Flores in ſummis ramulis approximati, breviſſime pedunculati, ultimis foliis oppoſiti, calycibus virentibus, corollis purpureis. Seminum pappus conſtat ſetis tribus hirtellis erectis, & tribus paleis ovatis obtuſisque. Tabula exhibet ramulum florentem & auctum ſemen.

250. STEVIA OVATA. *Jacq.* Tab. 128. Fig. 1.

Sponte crescit in Mexico. Floret æſtate. Radix perennis. Caules, calyces, & ſubtus folia pubescunt ad lentem. Caules plusculi, bipedales & ultra, ſuperne paniculate ramoſi, erecti, pennam columbinam craſſi, folioſi, annui. Folia ovata, acutula, ſerrata, ſubtrinervia, caulina oppoſita & petiolata, ramea alternantia & ſeſſilia, ſumma integerrima. Flores breviter pedicellati, erecti, in ultimis ramulis oppoſiti foliis. Calycis communis virentis foliola unius ordinis quina, erecta, ſublinearia. Flosculi hermaphroditi tres vel quatuor, calyce longiores, tubo viridi, limbo albido quinquefido & patentiſſimo. Stigma bifidum, reflexum, corolla longius. Semina fusca, hirtula. Pappus conſtat paleis tribus ovatis & denticulatis, totidemque ſetis truncatis, quarum rarius una ultra paleas elongatur. In tabula habentur pars ſumma caulis, hujus inferioris folium, & auctum ſemen.

251. STEVIA IVAEFOLIA. *Jacq.* Tab. 128. Fig. 2.

Crescit in Mexico. Apud nos floret æſtate. Ex radice perenni caules annuatim attolluntur plures herbacei, debiles, erecti vel adſcendentes, ſuperne paniculati, folioſi, bipedales, fere calamum craſſi, una cum dorſo & margine foliorum calycibusque ad lentem pubes-

centes. Folia lanceolata, acutula, ferrata, inferna oppofita & petiolata, reliqua alterna, fumma feffilia & integerrima. Pedunculi uniflori, erecti, foliis fummis oppofiti. Calyx pentaphyllus viret. Corollulæ fæpe quinæ, carneæ, hermaphroditæ, limbo quinquefido. Seminum pappus componitur ex paleis tribus ovatis & denticulatis, totidemque fetis alternantibus longis & hirtellis. Siftuntur in tabula ramulus florens & auctum femen.

252. SCABIOSA CAUCASICA. *Marshal.* Tab. 129. Fig. 1.

Ex radice perenni quotannis plures caules oriuntur herbacei, vix ramofi, erecti, teretes, pilis vagis ægre confpicuis hirfutuli, in pedunculum terminati uniflorum longum, fic fesquipedales. Folia caulina infima, fubradicalia, lanceolata, integerrima, acuta, petiolata; fubfequa fimilia, fed inferne fubpinnata paucis foliolis oppofitis & angufte lanceolatis; reliqua tota pinnata, pinnis omnibus lineari-lanceolatis & decurrentibus, omnia glabriuscula. Calycis exterioris foliola lanceolata, acuta, fubhirfuta, inæqualia, patentiffima, corolla breviora. Calycis interioris foliola fetacea, nigrescentia. Corolla diametri plus quam biuncialis. Corollulæ quinquefidæ, radiantes; laciniis exterioribus ampliffimis, dentatis, cæruleis. Mediæ pallidæ. Adftant duo folia infima.

253. HYSSOPUS ORIENTALIS. *Marshal.* Tab. 129. Fig. 2.

Semina fub hoc titulo ante aliquot annos accepimus. Eft fumma affinitas cum Hyssopo officinali, ut pro varietate haberi poffet, & defcriptiones utriusque fere coincidant; fed habitus eft tenerior, & radix hiemes noftras non fert, quin frigore pereat; unde fero autumno in tepidarium transportari debet. In tabula caulis florens fiftitur.

254. HEDYCHIUM CORONARIUM. *König apud Retz.* Tab. 130. & 137. Fig. 1.

Crescit in India Orientali. Apud nos in caldario floret Augufto & Septembri; fructescit Decembri. Radix horizontaliter & cefpitofe per nodos, qui funt caulium anteriorum bafes five bulbi, ferpit fub ipfa humi fuperficie, odorem aliqualem fpirans zingiberis, fapore prædita pauco nec grato, intus alba, foris cinerea & cicatricibus circularibus a foliis præteritis cincta, fibris cinereis longis radicata. Caules plures, fimplices, erecti, conferti, inferne fubancipites, & plus minus pollicem craffi, toti foliorum vaginis tecti, tres quatuorve pedes alti, annui. Folia alterna, bifaria, feffilia, longe vaginantia, ex lanceolato oblonga, acuta, læte viridia, utrinque glabra, fublineata, parum odora, longiora fine vagina fere pedalia duasque uncias lata. Flores valde fuaveolentes. Spica terminalis, erecta, obtufa, primo compacta, dein laxa. Bracteæ acutæ, concavæ, imbricatæ, virentes cum margine albido. In qualibet latet fasciculus florum nonnullorum, qui fucceffive finguli ex bracteis attolluntur, & expanduntur, ipfi propriis fuis bracteolis oblongis acutisque bafi inclufi. Calyx eft fuperus, monophyllus, tubulofus, albus, ore obliquo. Corollæ maximæ tubus eft filiformis, erectus, fuperne incurvatus, longiffimus, albus. Limbus fexfidus, patentiffimus, albus, tubo duplo brevior. Laciniæ tres exteriores lanceolato-lineares, concavæ, anguftæ, albæ. Tres interiores obtufæ, integerrimæ aut emarginatæ, albæ cum bafi fubflavescente, duæ laterales fubovatæ, intermedia ampliffima, nonnunquam biloba. Filamentum unicum, teres, antice fulcatum, fauci corollæ infertum, hujus fere longitudine, erectiusculum, album. Anthera oblonga, fummo filamento adnata, flava, fulcato-fiffa. Germen inferum, teres, viride. Stylus filiformis, albus, bafi duabus glandulis oppofitis oblongis obtufis flavis & ex

germine ortis ftipatus, in fulco filamenti antheræque decurrens. Stigma viride, capitatum, concavum, ciliatum, extra anthæram prominens. Capfula ovata, fuscescens, trilocularis, trivalvis; valvulis intus purpureis & in medio longitudinaliter affurgentibus in laminam acutam, quæ penetrat fulcum inter femina ad usque receptaculum, unde fic capfula evadit trilocularis. Receptaculum columnare, carnofum, craffum, erectum, inæquale, flavum. Huic femina adhærent in triplici ferie aggregata plura, nitida, fubovata, a vicinis compreffa, veftita pellicula fucculenta & fanguinea, quæ inferne in ambitu emittit plures fibrillas, etiam fanguineas. Rumphius dicit, plantam hanc in folo patrio fructum nunquam ferre. Idem afferit apud Retzium Königius. Unde ille manfit huc usque incognitus. In horto noftro botanico demum fructum perfecte maturavit, fed jam abfoluta colorataque tabula 130; quare fructus in aliam tabulam transferri debuit; ubi fiftuntur fpica tota fructescens, feorfim capfula, hujus valvula una expanfa cum receptaculo, fructus poft valvulas omnes avulfas, & femen baccatum. In priore tabula eft caulis florentis pars fumma, portio radicis, fasciculus florum extra bracteam extimam vifus utrinque, bractea interior, calyx cum corollæ tubo truncato, dein aucto. Germen cum ftyli parte & anthera cum ftigmate.

255. MODECCA LOBATA. *Jacq.* Tab. 131.

Ex India Orientali orta, colitur in Angliæ hortis fub titulo fupra dicto. Hinc ante decem annos in Viennæ caldarium migravit, & femel duntaxat folos duos flores produxit, qui brevi fponte deciderunt, alter integer ut examinari potuerit, alter jam femiputridus. Ex taleis facile propagatur. Tota perennat; fed hieme foliis caret. Radix eft fibrofa. Caulis inferior pollicem craffus, rami principes digitum, omnes glabri, fubcarnofi, teretes, glaucescentes, & coftis extantibus ferratisque inæquales. Rami reliqui numerofi, teretes, debiles, flexiles, cirris axillaribus ad viginti pedum altitudinem fcandentes, graciles. Folia alterna, petiolata, glabra, acuta, bafi cordata, rarius integra, fæpius varie triloba, fupra venofa & virentia, fubtus coftata & glauca. In petiolo infra folium utrinque ad latus glandula fedet cucullata. Pedunculi uniflori, axillares, folitarii, unciales, teretes, in cirrum producti. Perianthium monophyllum, inferum, foris pallide & fordide virens, femiquinquefidum, bafi (fig. 3.) plana rotundata leviter quinquefulcata & margine obtufe fubquinqueloba, tubo cylindraceo & erecto, laciniis lanceolatis acutis patentiffimis ferrulatis & intus fordide purpureis. Corolla pentapetala, germine brevior, bafi foris hirfuta; petalis lanceolatis, acuminatis, erectis. Filamenta (fig. 1.) quinque, tubum calycis fuperantia, erecta, fulcata, fupra medium pinnato-ciliata. Antheræ nullæ. Germen (fig. 2.) ovatum, acutum, trigonum, fuperum. Styli tres, breves, filiformes, erecti. Stigmata capitata, hirfuta, ferri equini fere figura.

256. SOLANUM VIOLACEUM. *Orteg.* Tab. 132. Fig. 1.

Crescit in Botany bay. Apud nos floret æftate, hiemem tranfigens in caldario. Caulis fruticofus, fesquipedalis & altior, calamum & ultra craffus, ftriatulus, cinereus, ramofulus, aculeatus, erectus; ramulis tomentofis. Folia alterna, petiolata, bafi cordata cum altero lobo plerumque breviori, ovata, obtufa, lobato-finuata, tomentofa, ex incano virentia, patentia, utrinque in nervo medio unaque alterave cofta aculeis fubulatis rectis bafique fæpe violaceis armata, tripollicaria; petiolo tomentofo & aculeato. Pedunculi ramei, diftiche racemofi, tomentofi, aculeati, rigidi, recti, unciales. Pedicelli uniflori, fubaculeati, femunciales. Flores fubnutantes. Calycis foliola ovata, acuta, tomentofa, aculeata, virentia, parva. Corolla diametri uncialis & pallide violacea laciniis lanceolatis acutis & patentiffimis.

Bacca globosa, ciceris magnitudine, nitida, ex aurantiaco flava, fetida. Semina plurima, alba.

257. MALVA MINIATA. *Jacq.* Tab. 132. Fig. 2.

Patria mihi ignota est. Floret sub dio apud nos æstate, hiemem agens in caldario. Caules suffruticosi, procumbentes, debiles, pennam columbinam crassi, bipedales, teretes, ad tactum subscabri, ad lentem hirtuli. Stipulæ lineares, geminæ, caducæ. Folia alterna, petiolata, subovata, semitriloba, acutula, subvenosa, asperiuscula, utrinque ad lentem hirtella. Flores axillares, solitarii, omnium brevissime pedicellati. Calyx acutus, asperiusculus. Exterioris foliola linearia. Interioris semiquinquefidi laciniæ ovatæ. Corolla calyce duplo longior, patens, miniata. Filamenta & stigmata purpurea. Antheræ flavæ. Germen hirsutum. Flores huc usque semper deciderunt omnes sine fructu.

258. SANSEVIERIA SARMENTOSA. Tab. 132. Fig. 3.

Tandem post plures annos hæc planta unam alteramve spicam fructigeram tulit, baccas scilicet ovatas monospermas & rubellas cum semine subrotundo. Talem hic spicam depingi curavi.

259. MUSA ROSACEA. Tab. 132. Fig. 4.

Fructum quoque tandem maturavit hæc Musa, figura hic exhibita, coloris ex flavo fuscescentis cum juncta quadam rubedine, carnis flavescentis odoratæ & sapidissimæ.

260. PALMA THEBAICA. *Jacq.* Tab. 133.

Primo vere anni 1803 Philippus Agnello, pharmacopœus Venetus, sumptibus illustrissimi comitis Julii Savorgnan Veneti, iter in Aegyptum suscepit, ut pro gazophylaciis Cæsareis Vindobonensibus res quascunque ad Historiam naturalem & antiquariam pertinentes colligeret, secumque redux Viennam transportaret. At ille æstate anni 1806. inter Cairum & Alexandriam, ardenti colligendi studio abreptus immodicaque fatigatione fractus, in febrim incidit nervosam, qua periit. Quæ poterant ejus omnia, Cairi congerebantur, & a consule Cæsareo Austriaco illustri Rossetti in sexaginta quinque cistis ordinata per Alexandriam & Tergestum mittebantur Viennam, ubi illas accepimus mense Aprili anno 1808. Erant inter fructus & semina plurimi fructus ex palma quadam Thebaica, plures adhucdum spadicibus suis adhærentes, sed quorum nulla aderat descriptio vel minima, nec patrium nomen. Mihi erant incogniti & omnino novi, unde credebam, posse me sub titulo fluxo Fragmentis hisce inserere, donec florum cognitio nomen stabiliret. Cum autem brevi huic operi imponere finem erat animus, statim depingi, æri incidi, tabulasque impressas omnes colorari curaveram, ut nunc mutare titulum nequeam; licet haud multo post a Gallo, tunc Viennæ morante, inaudivissem, esse Parisiis notam sub nomine Cuciphoræ thebaicæ, esse adeoque Hyphænen cuciphoram Persoon, &c. Spadix in tabula depictus ex missis est longissimus, fere bipedalis, basi pollicem crassus, teres, glaber, ramosus, ferrugineus, vestitus spathis vagis cinereis sessilibus amplexantibus concavis, terminatur in quolibet ramulo spica semipedali tereti lanata obtusa digitumque crassa. Hæc densissime obsidetur gemmis duplicis speciei, totis lanatis & cinereis. Aliæ, eæque longe plures, stricte clausæ sunt, & componi videntur ex paucis squamis arcte conniventibus & vix evolvendis, quæ forte fuerunt receptacula florum sterilium, nunc

plane deperditorum. Aliæ inter illas ſparſæ, multo pauciores, duploque majores, ex fundo ſuo pedunculum breviſſimum emittunt, cui fructus innascitur, aut cujus veſtigium abrupti conſpicitur, dum fructus deſideratur. Fuerunt illæ igitur veluti acetabula pro floribus fœmineis, & hæc ſunt aperta & expanſiſſima. Pedicellus ipſe in ambitu tegitur tomento denſiſſimo ex pilis mollibus & incanis, ſuperne abit in calycem inæqualiter ſexpartitum in foliola ſubovata glabra patentiſſima & perſiſtentia. Fructus ovum anſerinum, vel magis ſubrotundum æquat pugnum, ſæpe gibboſum & inæqualiter trilobum. Cortex extimus tenuiſſimus eſt, nitidus, glaber & flavus. Spatium hunc inter & nucem impletur pulpa ſicca, ex cinereo flavescente, aliquot lineas craſſa, odoris atque etiam ſaporis fere panis melliti; quam percurrunt numeroſiſſimæ fibrillæ transverſales ramoſæ rigidulæ, tam cum nuce quam cum cortice extimo firmiter connatæ. Nux ratione figuræ fructus eſt ipſe figura valde diverſus, ad triangularem magis minusve accedens, duos tresve lineas craſſa, ferruginea, duriſſima, magis coriacea quam fragilis. Nucleus figuræ nucis, quam fere replet, albus, lapideæ duritiei in non recente, cavus, in apice gerens proprio in alveolo corculum obverſe ovatum albumque, proprio tectus cortice ſpongioſo & ferrugineo, cujus baſis firmiſſime cohæret cum nucleo. In ſpadicis figura duo repræſentantur fructus per medium ſecti, alter verticaliter, alter transverſim. Seorſim nux; nucleus cum avulſa baſi circulari a nucleo, cui hæc baſis affixa manet, uti est videre in fundo baſis nucis diſſecto in figura laterali; dein nuclei pars ſumma verticaliter ſecti cum corculi alveolo; corculum hoc auctum; pedunculus cum calyce, ſed inverſe pictus, ut baſis pedunculi cum pilis ſuis radiantibus conſpici queat; tandem aucta portio pulpæ.

261. CARPESIUM ABROTANOIDES. *Wulfen.* Tab. 134.

Crescit in umbroſis locis circa Aquilejam. In horto ſub dio planta biennis primo anno ſola folia profert radicalia plurima, altero caulem Auguſto & Septembri florentem, & dein ſemper interit. Caulis ſesquipedalis, ramoſus, teres, ſubanguloſus, erectus, firmus, villoſulus. Folia alterna, lato-lanceolata, baſi in petiolum anguſtata, acuta, obſolete crenulata, ad lentem utrinque ſubpubescentia, inferiora ſemipedalia, ſuperiora ſucceſſive minora. In foliis ramorum omnibus flores locantur axillares, plerumque ſolitarii, etiam gemini, rarius terni, breviſſime pedunculati, nutantes, parvi, ad baſin calycis veſtiti foliolis duobus vel tribus, obtuſis, inæqualibus, patulis, & vix calyce longioribus. Perianthii communis & ovati ſquamæ imbricatæ, concavæ, erectæ, villoſulæ. Corolla compoſita, flavescens, discoidea. In limbo corollulæ fœmineæ plures, infundibuliformes, limbo quinquefido erectiusculo. Corollulæ diſi hermaphroditæ paulo longiores, cum limbo quinquefido patuloque. Receptaculum planum, nudum. Semina teretia, ſtriatula, ſuperne tuberculis glutinoſis munita. Pappus nullus. Siſtuntur in tabula pars ſuperior caulis florentis, & ſeorſim aucti flos integer & uterque flosculus. Eſt certe hæc planta Wulfeniana aquilejenſis; utrum vero eadem ſit cum Osbeckiana chinenſi, valde dubito. Olaus Osbeck ſolam rami florentis figuram dedit, ſine ulla vel breviſſima deſcriptione. Solum titulum etiam dederunt Thunbergius & Burmannus. Ex his igitur auctoribus nihil certi elucet. Si figura Osbekii bona & fida eſt, flores in eadem minime conveniunt cum floribus plantæ wulfenianæ. Nec capio, quo Linnæus pacto flores dicat eſſe magnitudine nucis coryli. Autoptæ ſtirpis chinenſis litem dubiumque diriment.

262. GLYCINE AMBIGUA. *Jacq.* Tab. 135.

Per plures annos hæc planta in caldario horti Schönbrunnenſis lætiſſime viguit, quotannis Aprili floruit, ſed nullum unquam perfecit fructum. Nec patria nota erat, nec titulus ullus. Tandem ſine ſobole periit. Nomen ambiguum impoſui; forte alius generis. Caulis

fruticofus, volubilis, teres, ramofus, duodecimpedalis. Folia alterna, petiolata, ternata, foliolis ovatis, acuminatis, integerrimis, venofis. Racemi multiflori, axillares, folitarii, erecti, breves; pedicellis breviffimis. Perianthium campanulatum, ad lentem villofum, femiquinquefidum; laciniis acutis, patulis; fuperioribus tribus femiovatis, inferioribus duabus lanceolatis pauloque longioribus. Corolla papilionacea. Vexillum fubrotundum, reflexum, calyce fere triplo longius, fubpurpurascens. Alæ oblongæ, obtufæ, concavæ, longitudine vexilli, fordide flavescentes. Carina dipetala, alba, alis fere fimilis. Filamenta diadelpha, fimplex & novemfidum, fitu carinæ. Antheræ flavæ. Germen ovatum. Stylus filiformis, glaber. Stigma capitatum.

263. MESPILUS JAPONICA. *Linn.* Tab. 136. Fig. 2.

In fplendiffimo Horto Malmaifon habetur hujus plantæ defcriptio cum icone rami florentis egregia. Sed forte fructum hic illa non tulit, unde ejusdem figura defideratur. Nec magis apud nos in horto Schönbrunnenfi fructifera fuit. Quare unicum fructum maturum, quem Viennæ obtinuit hortulanus peritiffimus Rofenthal in horto fuburbano illuftriffimi Comitis Andreæ a Rasumoffsky, hic depingi curavi, flavum, faporis aciduli, unilocularem & unico femine fubrotundo fætum. Sex femina delineat in Reliquiis Kæmpferus, & fructus multo minores, ut non fupervacanea fit figura fructus Viennenfis.

264. PYRUS JAPONICA. *Thunb.* Tab. 136. Fig. 3.

Amplam defcriptionem concinnavit celeberrimus Carolus Thunberg, qua igitur fuperfedeo. Solam elegantis plantæ florentis exhibeo figuram. Nullum huc usque fructum vidimus. Spinas in quibusdam ramulis gerit, in aliis nullas.

265. SCHOTIA PARVIFOLIA. *Jacq.* Tab. 136. Fig. 4.

Crescit ad Promontorium bonæ Spei. Semina fine legumine ante plures annos egregius Schollius mifit fub titulo novæ fpeciei Schotiæ, quæ læte plura germinarunt, & nunc arbusculas formant humiles, fesquipedales, quotannis omnes florentes. Laudatus hortulanus, fpeciem effe a Schotia fpeciofa diftinctam, omnino afferit, quas etiam ego facile folo intuitu feparo, parvifoliam multo rigidiorem, foliis minoribus magisque pungentibus donatam, & copiofius ex omnibus fere ramulis fub dio florentem, dum hiemem in caldario agit. Sed verbis terminisque botanicis hoc discrimen exprimere nequeo. Floruit etiam tandem Schotia latifolia eodem colore fimilique habitu cum Schotia fpeciofa, ut vere ad idem genus pertineat.

266. GNAPHALIUM DEJECTUM. Tab. 137. Fig. 1.

Ex Promontorio bonæ Spei. Floret apud nos Junio & Julio. Totum leviter balfamici odoris. Caulis fruticofus, teres, ramofus, bafi calamum & ultra craffus, fesquipedalis, debilis, inferne fuscescens & glaber, ramis ob debilitatem dejectis, junioribus ad lentem lanuginofis, totis denfe foliofis. Folia fparfa, feffilia, lineari-lanceolata, acuta, integerrima, utrinque lanuginofa & fubincana, patentia, longiora uncialia. Pedunculi terminales, ex ultimis etiam fæpe foliis axillares, omnes faftigiati in corymbum decompofitum brevemque.

Flores minuti. Calycis imbricati ſubcylindracei & ex viridi flaveſcentis ſquamæ ſunt obtuſæ, ſuperne tumido-concavæ & interiores longiores. Floſculi hermaphroditi ut plurimum quini, tubuloſi cum limbo quinquefido, lutei; fœminei nulli. Receptaculum nudum. Pappus piloſus, rarus.

267. ASCLEPIAS GIGANTEA. *Linn.* Tab. 137. Fig. 2.

268. ASCLEPIAS ALBO-AURANTIACA. Tab. 137. Fig. 3.

Hæc planta per multos annos in horti botanici caldariis læte vegetavit, pro nova ſpecie miſſa; tandem fructus maturos dedit, cujus ſemina terræ mandata produxerunt ſobolem, floribus totis albis præditam, quæ demonſtravit meram eſſe illam Aſclepiadis niveæ varietatem.

269. ASCLEPIAS PURPURASCENS. *Linn.* Tab. 137. Fig. 4.

Trium harum Aſclepiadum mentionem cum additis figuris propterea imprimis facio; ut pateat in illis ſtylorum cum ſtigmate veriſſima & immediata continuatio & concretio. In Aſclepiade gigantea ſtyli ad ingreſſum ſtigmatis decurrunt utrinque ad hujus margines oppoſitos, uniti tamen ipſi cum ejusdem ſubſtantia.

270. PANCRATIUM NARCISSIFLORUM. *Jacq.* Tab. 138.

Patria hujus plantæ nobis ignota eſt. Ex Anglia in hortum noſtrum botanicum ante plusculos annos ſine ullo titulo migravit, ubi æſtate floruit in caldario. Totum glabrum eſt. Bulbus tunicatus, ovatus, obtuſus, ſtriatus, cinereus, ovi magnitudine. Folia plura, baſi mutuo amplexantia & veluti caulem formantia, ſcapo breviora, enſiformia, plus minus unciam lata, acuta, integerrima, nitida, læte virentia, planiuscula, erectiuscula. Scapus centralis, anceps, ſesquipedalis, erectiusculus, unico flore ſeſſili terminatus ſuberecto. Spatha ſubquadrifolia; valvulis inæqualibus, lanceolatis, acutulis, erectis, virentibus. Corollæ monopetalæ tubus viridis, ſubſexangularis, gracilis, erectus, tres uncias longus. Limbus ſexfidus, patens, albus, tubo paulo brevior; laciniis lanceolatis, acutis, planis, apice reflexis. Nectarium monophyllum, campanulatum, amplum, album, erectum, ſtriatulum, petalo paulo brevius, apice patenti ſexfidum; laciniis oblongis, obtuſis, obſolete emarginatis & lacero-inciſis. Filamenta ſex, ſubulata, inciſuris limbi nectarii inſerta, hujus longitudine, alba, erecta, poſt pollinis exploſionem tota deorſum retroflexa. Antheræ oblongæ, flavæ, verſatiles. Germen inferum, ſubrotundum, triquetrum, viride. Stylus filiformis, erectus, albus, initio longitudine nectarii, tandem hoc multo longior. Stigma obtuſum, viride. Marceſcente jam ſcapo inventus in centro ſpathæ fuit bulbillus, aut vero ſemen unicum poſt capſulam forte deperditam nunc nudum; quod ad latus depingi curavi, quod autem terræ commiſſum non germinavit, ſed brevi putruit.

INDEX.

A.

	Pag.
Acalypha indica	8
— virgata	8
Achyranthes axillaris	73
Aconitum volubile	78
Adenanthera pavonina	5
Aegiphila martinicenfis	42
Aefchynomene crepitans	37
Aloë bullulata	72
— cymbifolia	72
— paniculata	48
— pentagona	72
— pulchra	73
— rigida	71
— Serra	47
— fpiralis	72
Alpinia aromatica	53
— Pacoferoca	54
Amaryllis ciliaris	39
— longifolia	3
Annona microcarpa	40
Aralia capitata	10
Arbor ignota	22
Arctotis amœna	75
— flammea	41
Asclepiades	86
After fruticulofus	9
Athanafia crythmifolia	14

B.

Bauhinia Ungula	22
Begonia humilis	19
Bignonia adhatodæfolia	61
— corallina	37
— quadrivalvis	37
— tetragonoloba	36
— alia	30
— alia	38
— alia	48
Bocconia cordata	64
Bœhmeria rubescens	7
Boerhavia viscofa	41
Brownea capitella	26
— grandiceps	26
— latifolia	25
— leucantha	26
— racemofa	25
Bryonia hederæfolia	73

C.

	Pag.
Calendula dentata	69
Calla æthiopica	29
Capraria lucida	41
Capficum bicolor	66
Carpefium abrotanoides	84
Caryota horrida	20
— urens	20
Caffia bicapfularis	46
— coromandeliana	67
— corymbofa	67
— pubescens	46
Cathartocarpus bacillaris	59
— — brafilienfis	59
Celfia betonicæfolia	65
— heterophylla	65
— fublanata	79
Cerefia elegans	59
Cestrum fœtidiffimum	37
Chenolia incana	76
Chloris ciliata	77
Chryfanthemum atratum	40
Cineraria viscofa	10
Claytonia perfoliata	48
Cobæa fcandens	59
Cordia Myxa	69
Corypha minor	12
— umbraculifera	12
Coftus Anachiri	55
— cylindricus	54
— purpureo-albus	55
— villofiffimus	55
Craffula glomerata	61
— pellucida	39
— fpinofa	80
Cremaftoftemon capenfis	68
Crescentia pinnata	30
Cynanchum crifpum	31

D.

Dinebra arabica	77
Difandra proftrata	9
Dolichos lignofus	11
— mollis	60
Dracena Draco	4
Drimia elata	3

E.

	Pag.
Echites fucculenta	74
Eckebergia capenfis	48
Ehretia laxa	4
Eriofpermum ?	40
Erythrina rubicunda	75
Euclea racemofa	3 43
Eugenia balfamica	40
Euphorbia bupleurifolia	60
— — Ornithopus	76

F.

Fagara fpinifex	10
Fœtidia mauritiana	19
Fructus ignotus	38

G.

Geranium canescens	16
— incanum	16
Gladiolus brevifolius	3
Glycine ambigua	84
Gnaphalium dejectum	85
— — Leontopodium	60
Godenia appendiculata	62
Gorteria fquarrofa	2
Gyrocarpus afiaticus	63

H.

Hæmanthus ciliaris	35
— — toricarius	35
Hedychium coronarium	81
Hedyfarum moniliferum	78
Heliocarpus americanus	40
Heliophila amplexicaulis	49
Hippia frutescens	14
Hortenfia opuloides	7
Hypericum Androfœmum	10
— — balearicum	10
— — calycinum	10
— — canarienfe	11
— — hircinum	11
— — monogynum	10
Hypoxis alba	13
Hyffopus orientalis	81

I.

Pag.

Jacquinia arborea 63
— — ariftata 64
— — revoluta 64
Jasminum volubile 39
Ipomœa heterophylla 37
Ixia feneftrata 28
— villofa 23
— alia 61

L.

Lantana involucrata 20
Larochea falcata 56
Latania shinenfis 16
— rubra 13
Legumen 40
Limodorum utriculatum 19
Lobelia bicolor 65

M.

Malacoxylum pinnatum 31
Malpighia argentea 57
Malva leprofa 77
— miniata 83
Maranta Allouya 53
— Arouma 53
— Cachibou 52
— Cafupito 51
— Cafupo 51
Melanthium ciliatum 6
Mefembryanthemum aduncum . . 43
— — — croceum . . 17
— — — geminatum 43
— — — multiradiatum 44
— — — rapaceum 43
— — — fuaveolens 66
— — — tenuifolium 44
— — — tefticulatum 20
— — — viridiflorum 40
Mefpilus japonica 84
Mimofa cyclocarpa 30
— faftuofa 15
— lanceolata 44
— liguftrina 29
— Saman 15
— fimplicifolia 40
Modecca lobata 82
Moræa collina 14
Morus mauritiana 9
Mufa rofacea 83
Myrica quercifolia 2

N.

Pag.

Nerium odorum 6
Nicotiana crifpa 57
Noccæa mollis 58

O.

Oedera aliena 5
Oxalis compreffa 37
— pectinata 11

P.

Palma argentata 36
— thebaica 83
Pancratium narciffiflorum 86
Pandanus humilis 21
— odoratiffimus 21
Paffiflora guazumæfolia 13
— maliformis 50
Pavonia humilis 78
Pedalium Murex 18
Phlox fubulata 39
Phœnix reclinata 27
Phyllanthus longifolia 23
Phyfalis chenopodifolia 58
Pilophora tefticularis 32
Plantago Cynops 56
— fquarrofa 56
Plectranthus paniculatus 62
Polygala myrtifolia 18
— fpinofa 19
Pothos craffinervia 1
— grandifolia 11
Protea comofa 35
Pforalea bituminofa 17
— glandulofa 17
— punctata 17
Pfychotria undata 29
Pteris elegans 74
Pyrus japonica 85

R.

Rhus mollis 74
Rofa blanda 70
— bracteata 30
— cuprea 31
— lucida 71
— mofchata 31
— pimpinellifolia 71
— repens 69
— rubrifolia 70

Pag.

Rofa fpinofiffima 79
— turbinata 71
Royena hirfuta 1
— lucida 11

S.

Sagus Ruffia 12
Salvia craffifolia 47
— interrupta 61
Sanfevieria fragrans 5
— — farmentofa 68 83
Scabiofa caucafia 81
Schotia latifolia 23
— parvifolia 84
Selago corymbofa 5
— polyftachia 6
— fpuria 5
Senecio halimifolius 2
— longifolius 2
— telephifolius 1
Septas - capenfis 4
Sida graveolens 66
Silene hifpanica 47
Solanum violaceum 82
Sophora tetraptera 46
Statice fpicata 79
Stevia ivæfolia 80
— ovata 80
— purpurea 80

T.

Theophrafta pinnata 49
Tilia cucullata 19
Typhæne cuciophora 83

V.

Urtica divaricata 30
Valtheimia Uvaria 7

Z.

Zamia cycadifolia 27
— horrida 27
— lanuginofa 28
— longifolia 28
Zerumbet fpeciofum 50

Fig. 1. Pothos crassinervia. 2. Royena hirsuta. 3. Senecio telephifolius. 4. Myrica quercifolia.
5. Euclea racemosa. 6. Royena lucida.

Fig. 1. Amaryllis longifolia. 2. Drimia elata. 3. Gladiolus brevifolius. 4. Dracæna Draco. 5. Septas capensis. 6. Sansevieria fragrans. 7. Sida gigantea. 8. Adenanthera pavonina. 9. Oedera aliena.

Fig. 1. Selago spuria. 2. Nerium odorum. 3. Melanthium ciliatum. 4. Gnaphalium squarrosum. 5. Hortensia opuloides.

Fig. 1. Veltheimia Uvaria. 2. Sagus Ruffia.

Fig. 1. Boehmeria rubescens. 2. Ehretia laxa. 3. Morus mauritiana. 4. Aster fruticulosus.

Fig. 1. Disandra prostrata. 2. Fagara spinifex. 3. Aralia capitata. 4. Hypericum calycinum.
5. Oxalis pectinata. 6. Oxalis cernua.

Fig. 1. Pothos grandifolia. 2. Cineraria viscosa. 3. Corypha minor. 4. Hypoxis alba.

Latania rubra.

T. 9.

Mimosa Saman.

Mimosa fastuosa.

Fig. 1. Latania chinensis. 2. Mesembryanthemum croceum. 3. Tilia cucullata. 4. Foetidia mauritiana.

Fig. 1. Caryota urens. 2: Mesembryanthemum testiculatum.

Pandanus odoratissimus.

Fig. 1 Pandanus odoratissimus. 2. Pandanus humilis. 3. Ixia villosa.

Fig. 1. Bauhinia Ungula. 2. Arbor ignota. 3. Phyllanthus longifolia. 4. Schotia latifolia.

Brownea racemosa.

Brownea latifolia.

Brownea capitella.

T. 19.

Brownea capitella

Brownea leucantha.

Brownea leucantha.

Brownea grandiceps.

Brownea grandiceps

Phœnix reclinata.

Zamia cycadifolia.

Zamia cycadifolia.

Zamia horrida.

Zamia horrida.

Zamia longifolia.

Zamia lanuginosa.

Zamia lanuginosa.

Fig. 1. Ixiæ miniatæ Var. 2. Ixiæ fenestratæ Var. 3. Calla æthiopica.
4. Limodorum utriculatum. 5. Mimosa ligustrina.

Fig. 1. Sansevieria fragrans. 2. Psychotria undata. 3. Nissolia fruticosa.
4. Crescentia pinnata. 5. Crescentia Cujete. 6 Burseria gummifera. 7 Urtica divaricata.

Fig. 1. Mimosa cyclocarpa. 2. Rosa bracteata. 3. Rosa moschata.
4. Rosa cuprea. 5. Cynanchum crispum.

A. *Malacoxylon pinnatum.* B–G. *Pilophora testicularis.*

Pilophora testiculata.

Oxalis compressa.

Protea comosa.

Hœmanthus toxicarius.

Fig. 1. Hæmanthus ciliaris. 2. Bignonia tetragonoloba. 3. Bignonia quadrivalvis.

Fig. 1. Hæmanthus toxicarius. 2. Hæmanthus ciliaris.

Fig. 1. Bignonia corallina. 2. Æschynomene crepitans. 3. Cestrum fœtidissimum. 4. Ipomœa heterophylla. 5. Fructus ignotus.

Fig. 1. Palma argentata. 2. Bignonia. 126. 3. Mimosa. 127. 4. Bignonia. 128.

Fig. 1. Amaryllis ciliaris. 2. Jasminum volubile. 3. Crassula pellucida. 4. Phlox subulata 5. Mimosa simplicifolia
6. Legumen num 134. 7. Annona microcarpa. 8. Chrysanthemum atratum.

Fig. 1. Heliocarpus americanus. 2. Eugenia balsamica.

Fig. 1. Ægiphila martinicensis. 2. Boerhavia viscosa.

Fig. 1. Arctotis flammea. 2. Eriospermum?

Fig. 1. Capraria lucida. 2. Gladiolus securiger. 3. Lithospermum distichum.

Salvia pinnata.

Mesembryanthemum geminatum.

Fig. 1. Claytonia perfoliata. 2. Mesembryanthemum aduncum.

Fig. 1. Mesembryanthemum rapaceum. 2. Mesembr. viridiflorum. 3. Mesembr. tenuiflorum.

Fig. 1. Mesembryanthemum multiradiatum. 2. Mimosa lanceolata.

Mimosa lanceolata.

Dolichos sanguineus.

Nicotiana undulata.

Cassia pubescens.

Caſsia bicapsularis.

T. 59.

Silene hispanica.

Salvia crassifolia.

Aloë Serra.

Aloë paniculata.

Fig. 1. Bignonia num. 164. 2. Ekebergia capensis. 3 Euclea racemosa.
4. Maranta Casupo.

Fig. 1. Theophrasta pinnata. 2. Maranta Casupito 3. Heliophila amplexicaulis.

Theophrasta pinnata.

Theophrasta pinnata.

Fig. 1. Paſsiflora multiformis. 2. Costus niveopurpureus.

Zerumbet speciosum.

Maranta Cachibou.

Maranta Cachibou.

T. 71.

Maranta Allouya.

Maranta Arouma.



Maranta Arouma.

Alpinia aromatica.

Alpinia aromatica.

Alpinia Paco Seroca.

Costus cylindricus.

Costus Anachiri.

Costus niveo-purpureus.

Costus villosissimus.

Fig. 1. Plantago Cynops. 2. Plantago squarrosa. 3. Gnaphalium Leontopodium.

Larochea falcata.

Malpighia argentea.

Nicotiana crispa.

Fig. 1. Noccaea mollis. 2. Physalis chenopodifolia. 3. Cathartocarpus brasilianu.
4. Cathartocarpus bacillaris.

Ceresia elegans.

Cobæa scandens.

Fig. 1. Dolichos mollis. 2. Ixia. 3. Crassula conglomerata.

Bignonia adhatodæfolia

Salvia interrupta.

T. 91

Plectranthus paniculatus.

Goodenia appendiculata.

Fig. 1. Bocconia cordata. 2. Gyrocarpus asiaticus. 3. Gyrocarpus americanus.
4. Hæmatoxylum campechiense. 5. Hedysarum gyrans.

Jacquinia arborea.

Fig. 1. Jacquinia revoluta. 2. Jacquinia aristata. 3. Lobelia bicolor.

Celsia betonicifolia.

Celsia heterophylla

Sida graveolens.

Fig. 1. Capsicum bicolor. 2. Mesembrianthemum suaveolens.

Cassia coromandeliana.

Fig. 1. Caſsia corymbosa. 2. Euphorbia bupleurifolia.

Sanseviera sarmentosa.

Fig. 1. Cremastöstemon capensis. 2. Calendula dentata. 3. Cordia Myxa.

Rosa repens.

Rosa blanda.

Rosa rubrifolia.

Fig. 1. Rosa pimpinellifolia. 2. R. turbinata. 3. R. lucida.

Aloë rigida.

Aloë bullulata

Aloë spiralis.

Aloë pentagona.

Fig. 1. Aloë cymbifolia. 2. Aloë pulchra.

Bryonia hederæfolia.

Achyranthes axillaris.

Rhus mollis

Echites succulenta.

Arctotis amoena.

Erythrina rubicunda.

Fig. 1. Chenolea incana. 2. Euphorbia Ornithopus.

Fig. 1. Dinebra arabica. 2. Chloris ciliata.

Fig. 1. Malva leprosa. 2. Hedysarum moniliforme. 3. Pavonia humilis.

Aconitum volubile.

Rosa spinosissima

Statice spicata.

Celsia sublanata.

Fig. 1. Craſsula spinosa. 2. Stevia purpurea.

Fig. 1. Stevia ovata. 2. Stevia ivæfolia.

Fig. 1. Scabiosa caucasica. 2. Hyssopus orientalis.

Hedychium coronarium.

Modecca lobata

Fig. 1. Solanum violaceum 2. Malva miniata
3. Sansevieria sarmentosa 4. Musa rosacea.

Palma thebaica.

Carpesium abrotanoides.

Glycine ambigua.

Fig. 1. Hedychium coronarium. 2. Mespilus japonica. 3. Pyrus japonica. 4. Schotia parvifolia.

Fig. 1. Gnaphalium dejectum. 2. Asclepias gigantea. 3. Asclepias aurantio-alba. 4. Asclepias purpurascens.

Pancratium narcissiflorum.